



UC-NRLF

gr·h · 13 ·

Ad libros

P. Ovidii Nasonis

Prolegomena,

quæ,

adjunctis nonnullis Thesibus pædagogicis,

Jubente Max. Ven. Cons. Eccles. Lundens.

p. p.

SAMUELIS GUSTAVUS CAVALLIN,
Phil. D:r, Ad Scholam Christianstad. Adjunctus,

in Auditorio sollenni Scholæ Cathedr. Lundensis

a. d. IX Cal. Febr. MDCCCLIX

h. a. m. IX.



Lundæ,
typis Berlingianis,
MDCCCLIX.



Theses pædagogicæ.

I.

Recte lex statuit, ut prima institutio puerorum, cui quidem cognitio linguarum proposita sit, in lingua vernacula versetur. In medio autem relinquens, quo jure inter peregrinas recentiores, quas dicunt, Franco-Gallicæ principatus tributus sit, hoc pro certo habeo, qui cognitionem linguarum Græcorum atque Romanorum sibi velint asciscere, iis in nulla peregrina antequam in latina esse elaborandum.

II.

Omnium exercitationum, quibus linguæ cujusdam perceptio quæritur, quasi caput est scriptorum, qui in quaque lingua excellentes exstiterunt, interpretatio atque explicatio. Sed in scriptoribus illis eligendis multa sane sunt circumspicienda. Qua in re duas video ferri sententias. Una est eorum, qui, quo pueri ortum, progressus, ætates, totam denique historiam linguæ cognoscant, minutas particulas omnium pæne scriptorum iis tradi velint; altera eorum, qui libros pauciorum quidem, sed totos ac solidos pertractandos esse censeant. Quarum sententiarum, quum prior illa, præsertim si linguas recentiores respicimus, in dies magis percrebrescat, ego tamen non dubito posteriorem omnino amplecti.

III.

Attamen non is sum, qui negem, posse in eodem libro alia apta esse pueris, alia non apta. Cujus rei si exemplum petitur, vix magis idoneum invenire possum quam libros Ovidii Metamorphoseon. Ut enim hos libros dignissimos judico, quibus in scholis utamur, sic in iis haud pauca invenias, quæ ab oculis puerorum amoveri oporteat. Quid? ut alia omittam, impura illa atque obscena, quæ multa et varia in Metamorphosibus occurrunt, nonne omni studio in scholis sunt evitanda? Quare selectio narrationum facienda est, selectæ vero integræ retinendæ.

IV.

In scriptis veterum, imprimis poetarum, ad nostram linguam transferendis, hoc diligenter teneatur, ut, quoad fieri possit, ad verbum omnia exprimantur. Conversio, qua sensus modo scriptoris, non verba etiam redduntur, in institutione puerili aut omnino est rejicienda aut ita toleranda, ut, si postulaverit dissimilis linguarum indoles, adhibeatur nonnumquam tunc, quum stricta illa verborum expressio antegressa sit.

V.

In tradendis præceptis Grammaticorum, quæ ad syntaxin pertinent, non in eo maxime elaborandum est, ut memoriæ puerorum omnia infigantur, sed multo magis, ut mente rite intelligantur. Quare mihi non placet eorum consuetudo, qui postulant, ut exempla ad singula præcepta a grammatico quodam adjuncta pueri ediscant atque recitent. Contra ea me numquam poenituit eum morem sequi, ut puer, præcepto recitato atque explicato, exemplum a se ipso depromptum edat sermone vernaculo, tum magistro, si opus est, adjuvante in linguam alienam vertat.

VI.

Latine scribendi exercitationem in scholis magno opere censeo esse retinendam, non quod facultas illa per se nostra ætate magni facienda sit, sed quia ipsa exercitatio optima ac prope sola est via ad linguam penitus percipiendam. Quamobrem a pueris non requirendum est, ut Ciceronem et Cæsarem imitando exprimant, sed ut præceptis grammaticæ lexicorumque convenienter atque ad res subjectas apte scribant. Bene Reisigius: "Die Wahl der Wörter ist nicht zuerst nach dem Zeitalter zu bestimmen, sondern nach Begriffen, nämlich unter Voraussetzung eines richtigen grammatischen Gepräges."

VII.

Hoc nobis curæ esse debet, ut pueri assuefiant et prudenter cogitare et cogitata bene eloqui. Vera est vetus illa sententia: obscure dictum est obscure cogitatum. Quare ii magistri non probandi sunt, qui, modo responsa puerorum rem quodammodo perceptam indicent, parum referre arbitrentur, utrum verba etiam apta sint et inter se cohærentia, necne. Neque mediocre adjumentum et ad judicandum et ad eloquendum adolescentibus nostris afferretur, si duce magistro exercitationes dicendi haberentur, quibus vel lingua vernacula vel peregrina quadam utentes de rebus propositis ratione et via inter se dissererent.

VIII.

Quamquam ab iis vehementer dissentio, qui pueris velint omnia adeo facilia reddi, ut ipse labor vix sejungatur a ludo, hoc tamen diligenter cavendum esse arbitror, ne justo nimia ab iis exigantur, unde fiat, ut viribus eorum et corporis et animi noceatur. Quod tunc

facile accidere solet, quum pueris plures sunt magistri, quorum singuli, suarum partium studiosi, eos ad se rapere conantur. Itaque nihil magis circumspiciendum est illi, cui gubernatio scholæ mandata est, quam ne quid hoc in genere peccetur. Haud scio an id etiam optandum sit, ut ne omnia in unumquemque diem domi ediscere cogantur, sed adhibeatur magis, quam nunc fit, in schola, in superiori certe, ratio acroamatica quæ dicitur. Et quum iis non assentiar, qui artium in scholas introductarum nonnullas (ut linguam græcam, philosophiam, historiam naturalem) totas velint rursus eliminari, omni cura tamen videndum esse puto, ne pueri, præsertim dum tenera sint ætate, nimia in varietate rerum versentur.

Ut negari vix possit, de scriptis alicujus facilius et quidem rectius nos judicare, si, qualis vita, qualis indoles, quales mores ejus fuerint, cognoverimus, sic verissimum est, scripta ad imaginem hominis declarandam plurimum conferre. Et homine scriptor et scriptore homo vehementer illustratur. Est tamen in hujus rei ratione habenda quod differat in variis illis generibus scriptionis. Quæ dissimilitudo qualis sit, facile intelliges, si duos poetas, quorum alter epicum, alter lyricum genus sibi elegit, inter se comparaveris. Ille, dum totus est in rebus explicandis, se ipsum quasi occultat atque abdit; hic autem unoquoque fere versu nobis occurrit, suos sensus, opiniones, timores, spes, dolores, lætitias nobiscum communicans. Ille quasi remotum se tenet a scena; hic nihil sæpius agit, nisi ut suam speciem in mentibus eorum, qui legunt, imprimat.

Quo in genere poetarum habendus sit Ovidius, id quæri sane potest. Recte statuere mihi videmur, eum plura vel potius omnia complexum esse. In Metamorphosibus epicum, in Amoribus et Tristibus elegiacum, lyrico finitimum, genus coluit. Attigit etiam dramaticum, quippe qui, teste et ipso [1]) et Quintiliano [2]), tragoediam (Medeam) conscrip-

[1]) 2 Trist. 553. [2]) Quint. Instit. X, I, 59. Cfr. id. VIII, V, 6. Vid. etiam Dial. de Or. c. 13.

serit. Neque quisquam poeta uberiorem sui cognoscendi materiam nobis præbuit, quam in suis quibusdam libris fecit Ovidius. Commode id etiam nobis contigit, quod de vita sua in scriptis, imprimis Ponticis, tam multa memoriæ prodidit, ut aliorum testimonia vix desideremus. Quæ quum ita sint, recte egisse, credo, videbor, si in priori parte disputationis de ætate, vita, moribus Ovidii, in posteriori de ejus scriptis quantulacunque attulero.

I.

Vita Ovidii incidit in illam ætatem, qua, si statum poesis respicias, nulla dignior fuit, quæ *aurea* nominaretur. Effecit hoc boni tristissima disciplinæ veteris perturbatio, ut viris splendido ingenio præditis liceret a civilium rerum occupatione recedere totosque se in litteris collocare. Quam licentiam vix dabat antiquior ætas, qua respublica florebat ad ejusque gubernationem unicuique libero aditus patebat. Romani enim veteres, quorum nihil pluris intererat, quam ut rempublicam, a majoribus acceptam, et liberam et amplificatam posteris traderent, longe plurimum studii, operæ, temporis putabant deberi civitati, proximum autem rebus domesticis; unde fiebat, ut haud multum superesset ad artes liberales colendas. Iis enim majorem quandam dare operam Græculis otiosis, non Romanis dignum videbatur. Studia litterarum inter *leviora* illa habebantur, in quibus versari liceret tum, quum gravibus seriisque rebus satisfecissent.

Hoc tamen non ita intellectum volo, ante ætatem Augusti nihil omnino studii in artibus Romanos posuisse. E contrario nobis perbene cognitum est, jam seculo VI:to u. c. postquam, magna Græcia devicta, de doctrina Græcorum aliquid Romani suspicari coepissent, exstitisse humanitatis studiosos, qui quidquid scientiæ consequi pos-

sent cupide arriperent. Quid? quod ne tunc quidem ii defuerunt, qui quæ ipsi accepissent scribendo quasi reddere conarentur? Vulgata sunt nomina Livii, Nævii, Ennii, Pacuvii, Plauti, Terentii etc., quorum scripta, etsi ab elegantia cultioris ævi longe distant, attamen et ingenium diligentiamque auctorum testificantur et civibus haud parvum adjumentum attulerunt. Inter prosaicos vero scriptores hujus ætatis maxime eminet M. Porcius Cato, homo nullius humanitatis expers, a suis autem non semper rite æstimatus. Hic tamen eruditionem Grajorum, quæ magis magisque Romam transferebatur, ab usu vitæ alienam putans, adeo suspicacem se præbuit, ut tres illos Græcos a. DXCIX Athenis missos vix in urbe remanere pateretur. Paulo ante lege cautum erat, ne philosophi Epicurei, qui dicebantur, sententias suas divulgarent. Philosophi hoc tempore vix ulli inter Romanos fuerunt. Mori Romanorum ad vitæ usum omnia referentium id etiam convenit, quod in eloquentia atque in historia scribenda antea elaborarunt quam in philosophia.

Tum seculo VII:mo multi oratores et historici, nonnulli juris periti, pauci autem poetæ exstiterunt. Talis erat condicio rerum, ut castra et proxime forum omnium vires desideraret. Nam bellis Punicis confectis, excisis Carthagine, Corintho, Numantia, cito vexari coepta est civitas et seditionibus internis et bellis externis et tandem — quod maxime horrendum est — bellis civilibus. In his tantis tumultibus disciplina tamen reipublicæ retinebatur. Brevi etiam spatio Sullani imperii species quædam libertatis remansit. Nondum liberæ voces in curia, in foro conticuerant. Legibus etiamtum quodammodo obediebatur, nisi qua in re cupiditas dictatoris intercederet. His rebus fiebat, id quod supra diximus, ut haud parvus existeret numerus oratorum, historicorum, juris peritorum. In phi-

losophia etiam sub finem hujus seculi aliquantum studii poni coeptum est. Et oratorum et philosophorum autem suæ ætatis quasi dux exstitit M. Tullius Cicero, qui quum ipse litterarum Græcarum peritissimus esset, in eo maxime elaborabat, ut studia illa in cives suos transferret. Is, totam fere per vitam in medio rerum civilium tumultu versatus, tamen tam multa scripsit, ut vere dicere possit se suum otium ad suorum negotium contulisse. Hæc ætas in eo maximam laudem merito consecuta est, quod sermonem ita excoluit atque perpolivit, ut ad omnia apte, distincte, ornate efferenda idoneus factus sit.

Huic seculo successit VIII:vum longe aliam speciem præ se ferens. Vetus disciplina multos per annos labefactata tandem funditus est eversa. Ineunte hoc ævo Cæsar rerum potitus est. Illo interfecto, postquam libertati vix licuit animam recipere, primum societas perniciosa trium virorum, deinde bellum civile, tum tyrannis consecuta est. Opus a Cæsare inchoatum Augustus ad finem perduxit. Quod Cicero queritur rempublicam amissam esse [3]), id multo majori jure queri potuisset, si ad tempora imperii Augusti fortuna eum reservasset. Princeps suo dominatu omnia tenens neque senatum neque populum Romanum in societatem regni admisit.

Hinc effectum est non solum id quod initio posui, ut uberius otium litterarum studiosis concederetur, sed etiam ut quæ genera scriptionis antea maxime floruissent, senescere, alia autem crescere inciperent. Sic *eloquentiæ*, quæ tota fere in foro vel in senatu versata fuerat, jam nullus locus relinquebatur, nisi de re publica aut tacere vellet aut præsentem statum pleno ore laudare. Colebantur quidem exercitationes dicendi, quæ declamationes vocatæ

---

[3]) De off. Lib. II cap. 8.

sunt, sed genus, quod tractabatur, non erat forte, grave, sincerum, sed molle, humile, vana verborum pompa ornatum, ab usu vitæ alienum. Deerat enim quod juvenes ad rectum studium hujus artis excitare posset[4]). Contra ea studium *juris civilis*, ab imperatore commendatum atque adjutum, vehementer crescere coepit. Gratum id erat principi opus, ut edictis et suis et vetustioribus diligenter collectis, dispersa illa membra cogerentur atque secundum præcepta artis in genera digererentur. Quamobrem nullos videmus apud imperatores magis honoratos quam juris peritos. In *historiam* quoque haud mediocri studio multi incumbebant. Hi autem, quæ ipsi viderant quorumque partes fuerant attingere non ausi, a præsentibus refugiebant et prisca tota mente repetebant. In *philosophia* et in *grammaticis* satis multi elaborabant.

Maxime vero hoc ævo florebat *poesis*, cujus auream ætatem jam affuisse diximus. Arti, quæ remota a rebus civilibus jucundam oççupationem scribenti, legenti honestam oblectationem præbebat, a potentibus magnopere favebatur. Quare ad hoc studium colendum magna turba æmulantium excitabatur. Quæ autem genera poesis imprimis florerent, id dicendum est. Ut igitur poetæ prisci temporis aut totum aut certe maxime versati erant in genere *dramatico*, quod aptissimum videtur ad vulgum tenendum atque delectandum, sic hac ætate, quum scriptoribus minus esset propositum, ut vulgo, quam ut hominibus eruditis subtilique judicio utentibus probarentur, dramaticum genus pæne intermissum ceteris locum cessit. *Epos*, ab Ennio et Nævio Romam translatum, Vergilius primus certis legibus tractavit atque summa cum elegantia expolivit. Ad quod genus colendum quamquam jure habentur Romani

[4]) Cfr. Dial. de Orat.

non tanta opportunitate usi esse quam Græci, attamen concedamus, illos etiam in eo satis magna præstitisse. Et si recte putantur poetæ Romani epici, quum cognitione litterarum Græcarum ornatissimi essent, multa a Græcis sumpsisse, non idcirco iis assentimur, si qui sunt, qui illos non nisi imitatores fuisse defendant. Nam et ea, quæ ad ipsorum historiam pertinent, libenter enarrarunt, et quæ a Græcis petierunt, tractando sua reddiderunt ad suosque mores accomodarunt. Hoc, quod de epicis diximus, idem fere ad *lyricos* transferre possumus. Atque ut epici Romani, Vergilio forsitan excepto, recte dicuntur non ipsum epos, sed *narrationem epicam* tractasse, sic, si unum Horatium exceperis, vix quemquam poetam lyricum, qui proprio nomine dicitur, apud Romanos invenies. Sed in *elegia*, quæ est aut lyræ finitima aut pars huic subjecta, haud pauci elaborarunt, inter quos Catullus, Tibullus, Propertius, Ovidius maxime excelluerunt. Si autem in poesi epica et lyrica Græcos Romani non æquarunt, in *didactica* certe magistros, sive Græcos sive Alexandrinos nomines, longe superarunt. In qua, postquam Lucretius viam aperuit, Vergilius atque Ovidius magnam laudem consecuti sunt. Novum etiam genus — *saturam* dico — a Romanis inventum. Huc accedit denique *epistola poetica* ab Horatio et Ovidio feliciter tractata.

Præterea de ætate loquentes, in quam incidit vita Ovidii, multa afferre possemus de moribus lepidis at corruptis, qui in locum antiquæ illius simplicitatis integritatisque jam successerant. Quæ tamen, quum et omnibus cognita sint et a proposito nostro remotiora, relinquamus et ad ipsam vitam Nasonis enarrandam veniamus.

Novissimus igitur inter claros poetas ætatis Augusti exstitit ille, de quo agimus, P. Ovidius Naso. Hic et passim in scriptis de se ipso multa memoriæ tradidit et con-

tinentem vitæ descriptionem in Trist. Lib. IV Eleg. X reliquit. Ab ipso itaque quæ ad unumquemque locum apta videbuntur petemus.

Patria erat Sulmo, urbs Pelignorum, ad quam tertia pars Peligni ruris pertinebat [5]). Natus est eo anno

Quum cecidit fato consul uterque pari [6]).

Significat satis luculenter a. u. c. DCCXI, qui consules habuit Hirtium et Pansam. Hi quum adversus Antonium exercitum duxissent, apud Mutinam d. V ante Cal. Maj. pugnam iniere, qua Antonium constat fugatum, consules victores vita esse privatos. Nam quum Hirtius ipso proelio cecidisset, Pansa postero die vulneribus moritur.

Equestri loco se ortum esse sæpius docet Ovidius [7]). Ex iis, quæ de stirpe attulit, conjicere etiam licet, eum inter illos habitum esse, qui propter antiquitatem generis resque gestas majorum Illustres, Speciosi, Splendidi vocarentur [8]). Fratrem habuit sibi conjunctissimum, uno anno majorem, qui annos viginti natus decessit [9]). Pater usque ad annum nonagesimum vixit multoque cum fletu filii sepultus est [1]). Mater eodem fere tempore mortua esse videtur [2]). Parentes pios fuisse amoreque filiorum dignos, ex illo loco intelligere possumus, quo et illis et sibi gratulatur, quod ante casum suum flebilem mortui essent [3]). Apparet etiam maxima cum cura filios educatos esse. Teneri enim Romam adducti doctrina clarorum virorum utebantur [4]). Frater in eloquentiam incubuit, Nostrum jam puerum Musa ad suum opus traxit. In quo quum repre-

---

[5]) 4 Trist. X: 2. 2 Amor. XVI: 1. [6]) 4 Trist. X: 6. [7]) 1 Amor. III: 8; 4 Trist. II: 16; 4 Trist. X: 7, 8; 4 Epist. VIII: 17, 18. [8]) Lindf. Antiqu. pag. 68. [9]) 4 Trist. X: 9, 10, 31, 32. [1]) 4 Trist. X: 77—79. [2]) 4 Trist. X: 80. [3]) 4 Trist. X: 81—90. [4]) 4 Trist. X: 15, 16.

henderetur a patre, qui eum ab inutili studio avocare cupiebat, verba scribere conabatur modis soluta, sed

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam scribere versus erat [5]).

Interea, postquam ephebus factus est, sumpserat togam liberam s. virilem [6]). Quod d. XVII ante Cal. April. fieri solebat [7]). Id mirum visum est, quod l. l. ipse tradidit, se etiam induisse purpuram cum lato clavo [8]). Constat enim, eos, qui senatorii essent ordinis, solos laticlaviam, equites autem angusticlaviam gestasse. Videtur tamen, ut recte docuit Massonius [9]), sæpe laticlavia iis concessa fuisse, qui honesto loco orti dignitatem senatoriam sperarent. Quod e versu illo etiam conjici potest:

Curia vestabat; clavi mensura coacta est [1]).

Hic enim indicare puto Nasonem, se latum clavum in spem dignitatis senatoriæ aliquamdiu gestasse, sed, postquam spem illam dimiserit, deposuisse.

In rhetoricam et jus civile haud parvo studio Ovidium putamus incubuisse. Hæc qui discebant, rhetore quodam, ad quem se applicaverant, magistro declamationibus exercebantur, quæ ita fiebant, ut de quæstione proposita subito atque imparati dicerent, in eo maxime elaborantes, ut ad minuta artis præcepta oratio accommodaretur ac figuris ornamentisque varii generis distingueretur. Quæ declamationes quales fuerint, si quis altius cupit investigare, eum ad M. Annæum Senecam potissimum delegamus. Ille enim homo acerrimæ memoriæ quæ audierat adeo probe servabat, ut unumquodque pæne verbum reddere posset. Itaque diligenter exponens, quibus de

---

[5]) 4 Trist. X: 17—26. [6]) 4 Trist. X: 27, 28. [7]) Fast. III: 771 sqq. [8]) 4 Trist. X: 29. [9]) Vid. ann. DCCXXVI. [1]) 4 Trist. X: 35.

rebus disputatum sit et quæ argumenta quisque attulerit, nos etiam docuit, quale fuerit totum illud genus declamandi. Inter rhetores tunc temporis M. Porcius Latro, C. Albutius Silus atque Arellius Fuscus maxima discentium frequentia utebantur. Ovidium et Latronis et Fusci diligentem fuisse auditorem bonumque habitum esse declamatorem, imprimis in suasoriis, idem Seneca auctor est [2]).

Mòs erat hujus ætatis, ut adolescentes peregrinationibus susceptis terras fama nobilitatas earumque incolas cognoscerent. Veri simile est, Ovidium paulo post togam virilem acceptam itinera illa suscepisse, quibus Athenas et magnificas urbes Asiæ et Siciliam [3]) petiit. In Sicilia diu moratus est, eamque sæpius cum delectatione quadam describit [4]). Ceterum etsi credere licet, nonnulla in hoc itinere visa auditaque memoria conservata et litteris esse mandata, tamen facile videmus, iter his puerilibus fere annis susceptum haud magnam vim ad ingenium excolendum habere potuisse.

Quod in nonnullis vitæ descriptionibus [5]), quas codicibus adjunctas collegit Burmannus, relatum inveni, Ovidium sub Varrone in Asia militasse, hoc, si ipsi poetæ credere fas est, a vero abhorret. Se enim militiam fugisse affirmat [6]). Contra ea ipse docet, se muneribus quibusdam civilibus functum esse. Nam et inter *centumviros* [7]) et *decemviros* [8]) et *triumviros* [9]) fuit. Centumviros, quorum numerus revera erat centum et quinque, quippe qui e singulis tribubus terni caperentur, judices fuisse litium privatarum, neminem nostrum fugit. Id mirum

---

[2]) Controv. X. [3]) 1 Trist. II: 77; 2 Ep. X: 21 sqq. [4]) Ex. gr. Fast. IV: 418 sqq. Metam. V: 346 sqq. [5]) Per Pomponium Lætum, C. Zarotum, Herculem Ciofanum etc. [6]) 4 Trist I: 71, 72; Fast. II: 9 sqq. [7]) 2 Trist. 93—95. [8]) Fast. IV: 384. [9]) 4 Trist. X: 34.

cuipiam fortasse videtur, Ovidium l. l. judicia centumviralia a privatis sejungere. Quod idem facit Cicero de Orat. I: 38. Hoc ita intelligitur, causas tales, quæ *κατ' ἐξοχήν* privatæ et essent et nominarentur et quas l. l. Cicero enumerat, non ad universos centumviros, sed ad partem quandam collegii hujus, ex. gr. ad decemviros stlitibus judicandis vel ad judicia quadruplicia delatas esse [1]). Causæ minores nonnumquam ab *uno* judice judicabantur [2]). Præterea munus centumvirorum uno anno definitum erat, sed qui inter illos fuerant, iterum vel sæpius poterant adjungi [3]).

Decemviris, ad quos, ut nuper diximus, privatæ etiam causæ delatæ fuisse videntur, ab Augusto mandatum est, ut centumviros cogerent [4]). Judiciis centumviralibus, si abesset prætor, præerant [5]). His id juris præcipui datum fuisse, ut ab orchestra ludos spectarent, comperimus e Fast. IV: 377 sqq.

Inter quos autem triumviros fuerit Ovidius, minus apparet. Erant enim et triumviri *capitales*, qui de servis hominibusque infimæ condicionis jus dicebant atque carceris suppliciorumque curam gerebant, et *monetales*, qui auro argento æri flando feriundo præerant, et *nocturni* etc. Docuit tamen Massonius [6]), vix posse alios significari quam capitales, quippe qui "sæpe simpliciter et absque ullo titulo apud antiquos auctores dicantur triumviri; sed alii non ita soleant nisi cum muneris sui notis designari". Idem recte animadvertit, quod Dio Cassius [7]) memoriæ prodidit, et hunc triumviratum et decemviratum partem fuisse *vigintiviratus*, qui ad senatum gradus erat. "Nam

---

[1]) Cfr. Plin. Ep. XVIII. [2]) Lindf. Antiqu. pag. 228. [3]) 3 Ep. V: 23, 24. [4]) Suet. Aug. c. XXXVI. [5]) Dio Cassius lib. LIV. [6]) Ad ann. DCCXXXI. [7]) l. l.

in his XX viris erant tres rerum capitalium et alii tres signandæ pecuniæ negotium gerentes, quattuor viarum urbanarum curatores, et decem judiciis, quæ ad centumviros sorte deferuntur, præficiuntur".

Jam igitur *curia* restabat. Hanc autem cur numquam attigerit, causas ipse exponit [8]). Et vires ad tantum onus sustinendum deerant, et Musæ animum ad se omni impetu trahebant. His etiam cito, omissa spe honorum, totum se dare decrevit. Quum summa diligentia opera poetarum pertractaret, tum carmina ipse admodum juvenis scribere coepit [9]).

His temporibus *collegia poetarum*, ab Asinio Pollione instituta, florebant; neque dubium, quin iis Naso multa debuerit. Hic in circulo amicorum carmina recitata acumini doctissimi cujusque subjiciebantur. Hic omnia examinabant, vitia corrigebant, bona laudabant. Inde fiebat, ut in existimandis rebus, quæ ad poesin pertinebant, certum quoddam judicium, ad quod singuli se accommodarent, stabiliretur. Quidquid igitur in tali collegio cum assensu eorum, qui audiebant, recitatum erat, id haud dubie etiam ceteris probabatur. Sodalium copiosum indicem nobis dedit Ovidius 4 Ep. XVI. Quos enumerat 4 Trist. X: 44 sqq. hos putandus est præcipuo quodam amore coluisse. Præterea familiaritate multorum eum usum fuisse, indicant epistolæ ex Ponto ad amicos scriptæ. Populo carmina ejus vehementer placebant [1]).

Quod ad domestica attinet, de Ovidio hoc fere accepimus: Uxorem ter duxit, duas autem ipse videtur dimisisse. Qua in re mobilitatem levitatemque seculi imitatus est. Nam quum veteres Romani conjugia maxima cum

---

[8]) 4 Trist. X: 36 sqq. [9]) 4 Trist. X: 57, 58. [1]) Rem. Am. v. 363.

sanctitate servarent, tum posteriori tempore nihil erat crebrius quam divortia atque repudia, quæ — tanta erat licentia — etsi nulla causa adesset gravior, fiebant. Sic Cicero Terentiam dimisit, Juliam Pompejus, Scriboniam Octavianus etc. Prima, ut jam ad Ovidium redeam, quæ ei puero pæne data est, neque dignam neque utilem sese præstitit [2]). Alteri nihil habet, quod crimini tribuat, id solum tradit, conjugium non fuisse firmum [3]). Tertiam vero, quæ de domo erat Fabii Maximi [4]), hominis Augusto conjunctissimi, propter fidelitatem et præstantiam animi summis effert laudibus, præsertim quod conjux esse exsulis viri sustinuisset [5]). Indicant epistolæ, quas Tomis misit, amorem et mutuum et verum et perpetuum fuisse [6]). Quarum uxorum quæ ei filiam pepererit, non pro certo sciri potest. Filia prima juventa bis fecunda patrem bis avum fecit [7]). Patris ab urbe discessu in Africa erat [8]). Perillam autem, cujus pudicos mores, raras dotes, bonos etiam versus collaudat [9]), non filiam, sed privignam fuisse putamus. Illa Suillio cuidam nupta erat [1]).

Quod Ovidius se dicit [2]) *pauperibus vatem esse, quia pauper amaverit,* hoc non ita intelligendum puto, eum inopia quadam conflictatum esse. Propius ad veritatem sine dubio accedit quod alio loco [3]) ait, domum suam neque divitiis neque pauperie fuisse notandam. Ne censum quidem senatorium ei defuisse putamus, quippe qui per diffidentiam sui otiique amorem a curia attingenda se doceat prohibitum esse. Natalia ei rura erant in Pelignis parva quidem, sed semper humida assiduis aquis [4]). Ho-

[2]) 4 Trist. X: 69. [3]) 4 Trist. X: 71. [4]) 1 Ep. II: 138. [5]) 4 Trist. X: 74. [6]) 1 Trist. III, VI; 3 Trist. III: 15 sqq. 4 Trist. III: 10 sqq. [7]) 4 Trist. X: 75, 76. [8]) 1 Trist. III: 19, 20. [9]) 3 Trist. VII [1]) 4 Ep. VIII: 11. [2]) Art. Am. II: 165. [3]) 2 Trist. 113. [4]) Fast. IV: 685, 686.

rum tamen in possessionem, quum parentes diu viverent, brevi ante relegationem successit. Habebat etiam suburbanos hortos, in quibus colendis magna cum delectatione occupatus videtur fuisse [5]).

Sic quum complures annos magna in tranquillitate atque securitate vixisset, nulla re carens, quæ ad beatam vitam degendam necessaria habetur, subito in malum incidit majus, quam quod umquam suspicari potuisset. Nam ab Augusto Roma relegatus Tomos, quæ erat urbs apud Pontum Euxinum sita, missus est. Cujus rei omnibus cognitæ quæ fuerint causæ, id haud facile est judicare. Ovidius quum ipse affirmet domui Augusti semper se favisse [6]) atque mente ejus fuisse proprium, hinc efficitur, ut non inveterata ira, sed recens Cæsarem ad tantam acerbitatem compulerit. Sed molestum est, quod neque ipse neque æquales certi quiddam hac de re attulerunt. Nos itaque, quum non audeamus incerta pro certis ponere, omnia, quæ ad hanc quæstionem pertinent, accurate exponemus; inde cuique quod veri simillimum videbitur depromere licebit.

Ovidius igitur quum doceat criminibus duobus se perditum esse, *carmine* et *errore* [7]), carmen haud dubie intelligit libros amatorios. In his enim multa impudice atque obscene dicta esse, quis est qui neget? Augustum autem, cujus ceterum castitatem vitæ non nimis laudare possumus, se, quum senior factus esset, diligentem morum custodem præstitisse atque ad libidinem coercendam leges [8]) edendas curavisse, satis quidem constat. Sic Ovidio etiam crimini dedit, quod lascivo scribendi genere

---

[5]) 1 Ep. VIII: 43 sqq. [6]) 1 Trist. II: 101; V: 41; 2 Trist. 51—66. Cfr. 2 Trist. 89, 90. [7]) 2 Trist. 207. [8]) Legem Juliam de adulteriis et Papiam Poppæam de maritandis ordinibus. Cfr. Sueton. Aug. LXIX, LXXI.

meres populi corrumperet. Hoc autem non in veris causis fuisse, sed quasi titulum dedita opera quæsitum damnationique impositum esse, multi putaverunt. Equidem non puto. Augustus, quum civitatis mores emendare vellet, serio, credo, utile judicabat et leges edi, quibus pudicitiæ consuleretur, et poenas ei imponi, qui lasciviam tantopere commendasset. Poeta certe non tali modo de crimine illo loquitur, ut si arbitretur, per simulationem id adhibitum esse [9]). Itaque non fortuito factum censeo, ut eodem fere tempore lex Papia Poppæa ederetur, et damnaretur Ovidius. Sed ut hæc vera fuerit causa, neque sola fuit neque maxima. Quod ipse haud obscure indicat Cupidinem his verbis utentem inducens:

Scis aliud, quod te læserit, esse majus [1]).

Quid autem hoc "aliud" fuerit, id ipsum quæritur. Hac de re poeta non nisi summa cum cautione loquitur, timens, ne principem magis etiam exacerbaret [2]). Duo tamen compluribus locis affirmat: unum, ex eo malum ortum esse, quod aliquid *viderit*, vel quod *imprudenti culpa quædam sibi cognita sit* [3]); alterum, se peccasse sed non *scelere*, potius *simplicitate, errore, stultitia, timore* [4]).

Primum igitur illi improbantur, qui auctore Sidonio Apollinari [5]) iram Cæsaris motam arbitrentur, quod *puellam Cæsaris* Ovidius dilexerit atque sub nomine Corinnæ cantaverit. Sive enim filia sive neptis sive ancilla Cæsari amata significatur, nihil hac in sententia veri simile in-

---

[9]) 1 Trist. IX: 58; 2 Trist. passim; 3 Trist. I: 66, III: 74: 5 Trist. XII: 45—48; 1 Ep. II: 136; 2 Ep. IX: 73, 74. [1]) 3 Ep. III: 72. [2]) 3 Trist. 6: 27; 1 Ep. VI: 21—24. [3]) 2 Trist. 103—106; 3 Trist. V: 49, 50. [4]) 1 Trist. V: 43; 3 Trist. V: 51, 52, VI: 25, 26, 35; 4 Trist. I: 23, 24, IV: 39, VIII: 40, X: 90; 1 Ep. VI: 19, 20, VII: 43, 44; 2 Ep. II: 47. [5]) *C. Sollius Apollinaris Modestus Sidonius*, episcopus Gallicus, sec. quinto p. Chr. vixit. Scripsit novem libros, qui epistolas continent, aliaque nonnulla.

venio. Ipse certe ne uno quidem loco suspicari nos sinit, Corinnam e domo Augusti fuisse. Præterea, hoc si probaretur, quid sibi vellent verba illa nuper allata:

Cur aliquid vidi, cur tristia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?
Inscia quod crimen viderunt lumina, plector etc.?

Neque iis assentior, qui, quod Ovidius Actæoni infelici se comparet [6]), Liviam putaverint ei lavantem visam esse. Quomodo enim, si hoc verum esset, *culpam* sibi diceret imprudenti cognitam?

Unum inveni, clar. Villenavium [7]), ostendere conantem, poetam, quum turbida quædam consilia moliretur, in odium Liviæ incidisse eaque instigante ab Augusto relegatum esse. Ovidium enim putat, favore Juliæ junioris fruentem, participem fuisse consiliorum, quibus jus regni hereditarium a Tiberio ad Agrippam Postumum, exsulem fratrem Juliæ, transferre vellent. Augustum, artibus Liviæ irretitum, coactum esse, ut non Juliam solum et Agrippam, sed amicos etiam eorum atroci poena afficeret. Hoc conamen, post paucos annos repetitum, et Agrippæ et Fab. Maximo, familiari Ovidii, fortasse ipsi Augusto perniciei fuisse [8]). Visum illud, quo se periisse dictitet poeta, intelligi concertationem violentam inter Augustum, Liviam et Tiberium etc. Hæc omnia, specie probabilia, haud in magno equidem ponam discrimine. Quod Ovidius ipse de hac re attulit nullo modo ad talem sententiam confirmandam valet. Præterea neque ex Ovidii neque ex aliorum scriptis quidquam reperies, ex quo colligere possis, eum rebus novandis umquam occupatum fuisse. Animum ejus ab his artibus adeo alienum fuisse puto, ut nemini novarum rerum cupido in mentem venerit eum ad societatem consilii adjungere.

---

[6]) 2 Trist. 405. [7]) In libro: Vie d'Ovide. [8]) Vid. Tac. Ann I: 5.

Restat ea opinio, Ovidium in domo Augusti versantem rei cujusdam insignis infamiæ testem factum esse. Vix alio modo explicari potest quod de noxiis luminibus etc. queritur. Fuerunt autem, qui culpam oculis Ovidii fortuito oblatam Augusto ipsi tribuere voluerint. Fama enim exisse dicitur, eum Juliæ filiæ stuprum intulisse. Caligula certe, ut est apud Suetonium [9]), narrare solebat, Agrippinam, suam matrem, ex adulterio Augusti cum Julia natam esse. Sed vix indicium Caligulæ, hominis sine ulla religione ac fide, idoneum esse videtur ad Augustum tantæ foeditatis convincendum, de qua historia nihil omnino sciat. Adde, quod Julia compluribus annis ante relegationem Ovidii Pandatariam in exsilium missa erat. Quare illa non potuit in causa esse, cur damnaretur poeta. Neque credendum est, si in tam atroci scelere Augustus deprehensus esset, Ovidium rei illius ita sæpe mentionem fuisse facturum.

Missos igitur si facimus Augustum et filiam, suspicio remanet in Julia, nepti Cæsaris, quæ ex Agrippa et Julia nata erat. Illam, matre dignam, turpissimis libidinibus se dedisse et tandem a. DCCLXI in insulam Trimerum haud procul Apulis litoribus projectam esse, Tacitus memoriæ prodidit [1]). Idem Silanum ait in nepti Augusti adulterum fuisse [2]). Quare, quum tempora etiam bene conveniant, haud temere complures opinati sunt, Ovidium, quum in adulterio Juliam deprehendisset, a Cæsare irato in exsilium ejectum esse. Quam opinionem quum ego non impugnem, attamen hæc insuper libet addere. Non potuit, si ego quid judico, tanta poena affici Ovidius eam solam ob causam, quod flagitium *vidit.* Nomina, quæ ipse crimini suo imponit, *error*, *timor*, *stultitia*, aperte indicant, culpam non in videndo solum, sed etiam in quodammodo agendo sitam

---

9) Calig. cap. XXIII. 1) Ann. IV: 71. 2) Ann. III: 24.

fuisse. Hoc autem genus agendi quale fuerit, facillimum est conjicere, difficillimum judicare. Ecquis *error* oculos decepit [3]), ut aliud vel aliam videre sibi visus sit, quam revera vidit [4])? Adeone *timidum* atque *stultum* se præbuit, ut omnia Augustum celaverit, aliis aperuerit [5])? Eo dementiæ accessit, ut flagitia, in quæ primum imprudens incidit, postea etiam adjuverit [6])? Hæc atque multa alia, quæ quæri possunt, indicio sint, quanta in obscuritate tota illa res relicta sit. Nos etiam illam relinquamus, ne plura afferendo fatigemus legentes. Nunc de ipsa poena pauca dicenda sunt.

Quum igitur haud incredibile videatur, de supplicio capitis sumendo deliberatum esse [7]), tamen et vita data est, et civitas, nomen paternæque opes conservatæ [8]). In edicto non *exsulem*, sed *relegatum* se dici, spe reditus non tota erepta, sæpius docet [9]). Nam inter exsilium et relegationem hoc dixerunt juris periti interfuisse, quod exsilium perpetuum fuerit, relegatio facta sit ad tempus. Quem in locum relegatus sit, jam supra narravimus [1]). Libri etiam Ovidii a bibliothecis publicis exclusi sunt [2]).

Nuntio impendentis mali allato, eo major terror atque trepidatio orta est, quo magis a suspicando tale quiddam abfuerat [3]). In eo erat, ut mortem sibi ipse conscisceret,

---

[3]) 4 Trist. I: 23. [4]) Ipsamne Liviam, errore captus, in famæ quoddam discrimen adduxit? Si Juliam solam violavit, quare a Tiberio minus speret quam ab Augusto? Cfr. 4 Ep. VI: 15, 16. [5]) Animadvertas velim 3 Trist. VI: 9—14, ubi Ovidius queritur, quod amico totam rem non aperuit, indicans, si ille cognosset, ejus consilio se salvum fuisse futurum. Neque se solum, sed comites etiam ac famulos nocentes fuisse, indicat 4 Trist. X: 101. [6]) Nisi ita fuit, quid hoc sibi vult, quod 3 Trist. VI: 34 negat, peccato ulla præmia sibi petita esse? An præmia significantur taciturnitatis? [7]) 2 Trist. 125—128. [8]) 2 Trist. 129, 130; 5 Trist. II: 55—57. [9]) Ex. 2 Trist. 135—138. [1]) pag. 13. [2]) 3 Trist. I: 60 sqq. [3]) Cfr. 4 Ep. III: 51—54.

a quo consilio fidelis amicus, Celsus Albinovanus, manum ejus abstinuit [4]). Ultimam noctem, quam in urbe degit, et eleganter et miserabiliter 1 Trist. III describit. Animus nimio dolore torpebat; familia gemitu lacrimisque omnia miscebat; amici, qui perpauci de multis superfuerant [5]), moesti stabant; uxor, imbre per genas cadente, flentem tenens, se ajebat simul ituram vixque sinebat se utilitate vinci. Tandem, quum mora non amplius libera esset, postquam ter limen tetigit, ter rediit, domo egressus est.

Iter, per se molestum, eo molestius est factum, quod hiemali tempore susceptum est. Mense Decembri, id quod certum est, mare Adriaticum transiit [6]). In mari etiam magna tempestate orta fluctibus pæne obrutus est, in quo periculo preces supplex effudit, ut ad Tomos, quamvis invisum locum, salvus perveniret [7]). Itineris descriptionem 1 Trist. X et XI tradidit, quæ tamen, ut multa apud Nasonem, haud parvas difficultates geographicas interpretoribus præbuit. Ubi navem primum ingressus sit, non liquet; veri simile tamen est Brundusii. Corinthum quum venisset, ibi egressus Isthmum pedibus superavit et alia carina sumpta Cenchreis solvit [8]). Inde per mare Ægæum navigans, Imbro, Samothrace etc. visitatis, quum ad Tempyram devertisset, navem iterum reliquit ac Bistoniorum campos pede carpsit [9]). In navem, nescimus quo loco, rursus ascendit et juxta oram Thraciæ vectus Tomos pervenit.

Hæc urbs, quam e dilaceratis Absyrti membris nomen traxisse docet [1]), urbs Miletis etiam vocatur, quia coloni

---

[4]) 1 Trist. V: 5, 6; 1 Ep. IX: 21—24. [5]) 1 Trist. V: 25—34, IX: 17—20; 2 Ep. III: 25—30; 3 Ep. II passim. [6]) 1 Trist. XI: 3, 4. [7]) 1 Trist. II. [8]) 1 Trist. X: 9; XI: 5, 6. [9]) 1 Trist. X: 15—22. [1]) 3 Trist. IX: 5—34.

Mileto missi eo quondam venerant [2]). Ad læva maris Euxini (olim Axeni) sita erat in Moesia inferiori, ab Istro flumine haud longe distans, a Roma tanto spatio, ut, dum epistola perveniret et recurreret, annus abiret [3]). Moesia autem, quæ jacet supra Thraciam, circiter a. CXX a Romanis bello invadi coepta, a. XXIX ante Chr. provincia Romana facta est. Inter incolas terræ (Mysos, Triballos, Crobyzos, Getas etc.) sæpissime commemorat *Getas* [4]), quorum tamen major pars jam ultra Istrum in Daciam transierat. Vicinos nominat Basternas [5]), Bistones [6]), Odrysas [7]), Bessos [8]), Sarmatas [9]) (Sauromatas), Iazyges, Colchos, Metereos [1]), Achæos [2]). His bellicosis gentibus undique cinctus interdum bello, vix umquam metu belli vacuus erat [3]). Ex altera parte Bistones imminebant, ex altera Achæi et Sarmatæ [4]) ceterique, qui, brevi æstatis tempore per Istrum repulsi, quum flumen constrictum glacie constitisset, bella cientes aderant [5]). Violentiæ in talibus excursionibus adhibitæ exemplum nobis dedit 1 Ep. VIII: 11—20.

Præterea ipsa terra erat barbara et a cultu humanitateque Romana alienissima. Coelum, terra, aquæ, auræ — omnia Ovidio erant odiosa [6]). Numquam erat sine frigore coelum, gleba semper gelu erat obusta, hiems hiemi continuabatur, nix, ubi nondum delicuerat prior, altera veniebat [7]). Ita sterilis erat terra, ut neque ager poma uvasve produceret, neque salices ripa roboraque monte

---

[2]) 3 Trist. IX. 1—3. [3]) 4 Ep. XI: 15, 16. [4]) 3 Trist. III: 6, X: 5; 4 Trist. I: 67, VI: 47; 1 Ep. VII: 12; 4 Ep. XIII: 19, 22 etc. [5]) 2 Trist. 198. [6]) 1 Ep. III; 59. [7]) 1 Ep. VIII: 15. [8]) 3 Trist. X: 5. [9]) 3 Trist. III: 6, X: 5; 4 Ep. III: 60. [1]) 2 Trist. 191; 1 Ep. II: 79. [2]) 4 Ep. X: 27. Achæi, colonia Argonautarum, ab Aquilone Pontum Euxinum tenebant. [3]) 3 Trist. X: 67. [4]) 1 Ep. III: 59, 60. [5]) 3 Trist. X: 7, 8, 51—60; 1 Ep. II: 81, 82. [6]) 3 Trist. VIII: 23, 24; 2 Ep. VII: 63, 64. [7]) 3 Trist. X passim.

virerent [8]). Cibus ægro utilis parari non poterat, medicus non reperiri; qui solaretur et tempora tarde labentia narrando falleret, nullus erat [9]). Lingua, latinæ vocis nescia, plus etiam habebat Getici soni quam Graji [1]). Hæc mala Ovidio eo molestiora erant, quo magis delicatæ vitæ omnibusque voluptatibus redundanti assueverat. "Languor, inquit, corpus habet, insomnia vexant, macies ossa tegit, vires deficiunt, mens etiam ægra est" [2]). Interdum vita ipsa tam invisa erat, ut de Cæsare quereretur, quod offensas suas ense non vindicasset [3]). Itaque non mirandum, quod, quum spem reditus amisisset, a Cæsare non desineret orare, ut terra propior, mitior, nullique bello obnoxia sibi ad exsilium daretur. Talibus precibus refertæ sunt epistolæ a Ponto missæ. "Omnis terra, inquit, hac erit gratior. In Syrtes medias, in Charybdin, in Styga, in locum, si qui sit, Styge inferiorem libenter descendam, modo mihi liceat Istro abire" [4]). Talia quum verba effunderet, succensuisse nonnumquam docet Tomitas [5]), quibuscum tamen satis bene concordare solebat. Ii videntur etiam, de viro claro gloriantes, omnia fecisse, quæ ad mala ejus lenienda valerent [6]). Et corona eum donaverunt et immunitate, qui honos ei soli, exceptis magistratibus, his in oris datus est [7]). Quare Tomos ait sibi æque caros esse ac Delon Latonæ, quod sibi fugato perfugium non negassent [8]). Initio cum gente fera nulla omnino habebat commercia linguæ [9]), postea autem et eos et linguam eorum ita bene ferre poterat, ut versus sermone eorum scriptos iis recitaret [1]). In scribendo solatium quærens Musæ gra-

---

[8]) 1 Ep. III: 51—56. [9]) 3 Trist. III: 9—12. [1]) 5 Trist. II: 67, 68. [2]) 3 Trist. VIII: 25 sqq. [3]) 3 Trist. VIII: 39, 40. [4]) 4 Ep. XIV: 5—14. [5]) 4 Ep. XIV: 15. [6]) 4 Ep. XIV: 47—50. [7]) 4 Ep. IX: 101, 102; XIV: 51—56. [8]) 4 Ep. XIV: 57—60. [9]) 3 Trist. XI: 9. [1]) 4 Ep. XIII: 17—22.

tias agit, quod curæ requiem malique medicinam sibi daret [2]). Et quemadmodum ille, qui cura ac dolore conficitur, lenimen invenit in lacrimando, sic Ovidius condicionem suam effuse et miserabiliter describendo animum quodammodo levare videtur. Sæpe tamen docere conatur, mala sua longe majora esse, quam quæ enumerari ac describi possint [3]).

Acerba tempore fieri leniora, in se ipso unusquisque nostrum fortasse expertus est. Atque ut is non plane sit miser, cui spes relicta sit, sic quodammodo etiam vere dicitur una esse miseris salus: nullam sperare salutem. Qui sperare nondum desiit, jucunditate quidem spei interdum fruitur, sed spe iterum iterumque decepta gravius affligitur et semper in inquietudine ac trepidatione animi versatur. Sed quum spem omnem missam fecimus, si non tranquilliores, at certe duriores facti, in eo elaborare incipimus, ut sortem nostram, quam immutabilem esse videmus, patientia tolerabilem reddamus [4]). At in Ovidio tanta erat levitas atque inconstantia, ut ne diuturnitas quidem temporis ullam patientiam eum posset docere [5]). Inter spem et desperationem fluctuans, modo illi modo huic se committens, æquiore animo fatum suum ferre numquam didicit. Mora tamen spes imminuta et tandem morte Augusti tota pæne fracta esse videtur [6]). Ad extremum etiam in morositatem sibi ceterisque molestam incidit. Ab amicis nihil exspectans negligentiam timiditatemque eorum majorem judicat quam pervicaciam Cæsaris [7]). Uxori quo-

---

[2]) 4 Trist. X: 111—122; 5 Trist. I: 33, 34. [3]) 4 Trist. I: 55 sqq. 5 Trist. I: 30—38, II: 21 sqq. IV: 7—10, VI: 35—46; 2 Ep. VII: 25—74; 4 Ep. XV: 7—10. [4]) 3 Ep. V: 57, 58. [5]) 4 Trist. VI: 19 sqq. 1 Ep. III: 86—94. [6]) 3 Trist. V: 25, 26, 43, 53; 1 Ep. II: 61—66, VI: 27—54; 2 Ep. VII: 79, 80; 3 Ep. VII: 29—32; 4 Ep. VI: 9—16. [7]) 3 Ep. VII: 9, 10, 19—38.

que, cujus sæpe pietatem fidelitatemque collaudavit, jam exprobrat, quod amplius habeat voluntatis ad optandum quam audaciæ ad conandum [8]. Precari tamen numquam cessat, ut mitius sibi detur exsilium [9].

Sic quum octo circiter annos malis cumulatos Tomis transegisset frustraque misericordiam Cæsarum implorasset, mors tandem misericors exsilio eum liberavit. Tomitas mortuo monumentum donavisse fama est. Ipse titulum reliquerat sepulcro inscribendum [1].

Quo anno Romam reliquerit Ovidius, inter doctos viros non convenit. Alii enim a. DCCLX, alii a. DCCLXI, alii denique a. DCCLXII defenderunt. Copiosissime hac de re disputans clar. Massonius probare conatur, non nisi illum, quem postremum posui, verum annum profectionis esse potuisse. Ab hoc tamen audens dissentire equidem a. DCCLXI potius sequor. Quam sententiam his præcipue argumentis confirmo:

Ipse *decem lustra* ait a se sine labe peracta [2]. Natus est a. DCCXI [3] die Martii XX:mo [4], fuga autem extremo anno suscepta est. Quare si in a. DCCLXII calamitas cadit, propius annum quinquagesimum secundum Ovidius fuit. Sed vix veri simile habeo, eum, si ita fuisset, modo illo per lustra vel Olympiades annos indicandi ambobus ll. ll. usurum fuisse.

In 4 Epist. VI [5], quæ scripta est paulo post nuntium de morte Augusti acceptum, quinque annos a se in Scythia dicit esse transactos. Augustum constat mortuum esse die XIX Sext. a. DCCLXVII. Nuntius autem maxima sine dubio, qua fieri potuit, celeritate perductus, ante

[8]) 3 Ep. I: 31—48, VII: 11—14. [9]) 4 Ep. XV: 21. [1]) 3 Trist. III: 71—80. [2]) 4 Trist. VIII: 33, X: 95—98. [3]) Pag. 7. [4]) 4 Trist. X: 11—14. Cfr. Fast. III: 809—814. [5]) v. 5, 6.

finem Novembris certe in Pontum pervenit. Ovidium contra, qui mense decembri Hadriam transiit [6]) et compluribus locis commorans magna tarditate profectus est [7]), vix puto ante Martium vel Aprilem anni sequentis Tomos pervenisse. Quæ quum ita sint, non dicere potuit, se quinque annos in Scythia fuisse, nisi a. DCCLXI Romam reliquerit. Epistola XIII:ma libri IV:ti eidem anno assignanda hæc habet:

. . . me jam, Care, nivali
Sexta relegatum *bruma* sub axe videt [8]).

Si bruma VI:ta in a. DCCLXVII, prima in a. DCCLXII cadat necesse est; si autem hoc verum habetur, superiore anno Roma profectus est. Eidem anno DCCLXVII satis bene ascribi potest Ep. X:ma, quæ ita incipitur:

Hic mihi Cimmerio bis tertia ducitur æstas
Litore . . . . [9]).

Brevissima librorum Tristium Epistolarumque ex Ponto per annos descriptio heic inseratur:

I:mum librum Tristium in itinere confectum esse, satis apparet [1]). Quare non multo post adventum i. e. vernali tempore a. DCCLXII Romam eum missum putamus.

Elegiam unicam libri II:di, qua se defendit culpamque excusat, posteriori parti ejusdem anni assignari oportet. Hic vota etiam facit pro felicitate Tiberii seditione Illyrica sedanda tunc (DCCLXI, DCCLXII) occupati [2]).

---

[6]) 1 Trist. XI: 3, 4. [7]) 1 Trist. X et XI. [8]) v. 39, 40. [9]) v. 1, 2. [1]) 1 Trist. XI: 1—6. [2]) v. 171—178, 225 sqq. De qua re Suetonius Tib. cap. XVI hæc habet: "nuntiata Illyrici defectione transiit ad curam novi belli; quod gravissimum omnium externorum bellorum post Punica per XV legiones paremque auxiliorum copiam triennio gessit . . . . . . Ac perseverantiæ grande pretium tulit toto Illyrico, quod inter Italiam regnumque Noricum et Thraciam et Macedoniam interque Danubium flumen et sinum maris Adriatici patet, perdomito et in dicionem redacto."

Sequenti hieme ac vere librum tertium arbitror esse conscriptum. Nam etsi nonnulla ex gr. initium El. II:dæ novum incolam indicant, El. X:ma certe ostendit auctorem, qualis hiems esset in Ponto, penitus esse expertum. In El. XII:ma ver adventans salutat. In eadem optat, ut Germania rebellatrix a Tiberio ad officium redigatur. Tiberius autem, teste Suetonio, anno proximo post cladem Varianam i. e. a. DCCLXIII in Germaniam profectus est [3]).

Librum IV:tum confectum esse puto vel fine a. DCCLXIII vel initio a. DCCLXIV. Bis enim ver factum esse, bis auctumum, dum ipse in Ponto fuisset, Eleg. VI:ta et VII:ma docent [4]). Anno DCCLXIV haud dubie ascribenda est Eleg. X:ma libri V:ti [5]).

Epistolas ex Ponto, quæ unoquoque libro continentur, negat certo quodam ordine temporis esse editas, sed, quum satis magnus numerus factus esset, collectas et sine ordine junctas [6]). Itaque in medio relinquens, quo anno ceteræ epistolæ scriptæ sint, nonnullas afferamus, quæ certa habent indicia temporis. Hæ sunt

In libro I:mo: Ep. II:da [7]) et VIII:va [7]), ubi quartam hiemem, quartum auctumnum a se ait in terra barbara transigi. Quare VIII:vam ascribimus auctumno a. DCCLXV, II:dam hiemi subsequenti.

In libro II:do: Ep. I:ma et II:da atque in lib. III:tio Ep. IV:ta, in quibus triumphum Tiberii Illyricum celebrat [8]). Cujus triumphi a. DCCLXV acti vel fine hujus anni vel ineunte proximo rumor Tomos pervenit.

In libro IV:to: Ep. IV:ta ad Pompejum scripta consulem

---

[3]) Sueton. Tib. cap. XVII: "Sub id fere tempus Quintilius Varus cum tribus legionibus in Germania periit . . . . . . Cap. XVIII: Proximo anno repetita Germania" (a Tiberio) . . . . . [4]) El. VI: 19, 20; VII: 1, 2 [5]) 5 Trist. X: 1, 2. [6]) 3 Ep. IX: 51—54. [7]) v. 27, 28. [8]) De quo Suetonius Tib. cap. XX: "A Germania in urbem post biennium regressus triumphum, quem distulerat, egit."

in annum proximum designatum et V:ta ad eundem jam consulem. Pompejus consul erat a. DCCLXVII;

Ep. VI:ta ad Brutum accepto nuntio de morte Augusti et Maximi missa [9]);

Ep. IX:na, in qua Græcino consuli designato et Pomponio Flacco illi successuro gratulatur. Flaccus autem consul erat a. DCCLXX, ex quo colligi potest, hanc epistolam a. DCCLIX esse scriptam;

Ep. X:ma æstate a. DCCLXVII confecta [1]);

Ep. XIII:ma, quæ paulo post mortem Augusti cognitam scripta videtur [2]). In eadem epistola Germanico, filio Tiberii per adoptionem, seditione legionum Germanicarum occupato, prosperam fortunam precatur [3]).

Decessit Ovidius, id quod inter omnes convenit, a. DCCLXX.

Ad hanc vitæ enarrationem adjungamus perpauca, quæ ad imaginem Ovidii declarandam pertinent.

Jam supra diximus, corpore invalido infirmoque eum fuisse atque mente parum apta labori [4]). Quamobrem et curiam [4]) et militiam [5]) fugiens otium vehementer expetebat [4]), non illud quidem quod est in nihil agendo — tale otium ferre omnino non poterat [6]) — sed quod, remota occupatione belli, ambitionis, honorum, fori, id proprium habeat: sic vivere, ut velis. Otium autem in legendo potissimum et scribendo, in colendis artibus liberalibus, quas rite æstimare didicerat [7]), ponendum arbitrabatur. Hæc studia, dum fortuna stetit, eum delectabant [8]); hæc, quum adversa spirare coepisset, sola eum consolabantur [9]). Res tamen privatorum omniaque, quæ ad eum delata erant,

---

[9]) v. 5—16. [1]) v. 1, 2. [2]) v. 25, 26. [3]) Vid Sueton. Tib. XXV. [4]) 4 Trist. X: 37—40. [5]) 4 Trist. I: 71, 72. [6]) 1 Ep. V: 43, 44. [7]) 1 Ep. VI: 7, 8. [8]) 4 Trist. X: 41 sqq. [9]) 5 Trist. I: 33, 34.

summa sanctitate administrabat [1]). Tota vita erat sine vitio, sine labe [2]), donec in culpam illam, quæ error vel stultitia potius nominanda est, incidit. Fide erat incorrupta, probatis moribus, nuda simplicitate, purpureo pudore [3]). Vino epulisque non deditus erat, sed solam pæne aquam bibebat [4]). Negat etiam in Venerem nimis se esse propensum [5]), atque mores suos carmini esse similes [6]). Huic testimonio parum tamen consentiunt quæ aliis locis de se ipso memoriæ prodidit. Quare quum castitatem ejus vitæ non magni æstimemus, id forsitan ei dare possumus, si ad normam illius ætatis judicandus sit, mores ejus non nimis fuisse impudicos. Semper et cujusvis generis mulieres (et virgines et nuptas) amabat [7]). Qui vinculo sanguinis vel amicitiæ cum eo conjuncti erant, eos summa pietate colebat [8]). Sed ut amore erat ardenti in amicos, sic acri odio in inimicos. Cui rei indicio sunt et alia et diræ illæ horrendæ atque viro magnanimo parum dignæ, quas in libro Ibide adversario cuipiam imprecatur. Quietem animi [9]), quam Græcinus laudare solebat, non eandem intelligo ac tranquillitatem æquabilitatemque vitæ, sed bonitatem illam naturæ, quæ nemini noceat [1]), nisi qui prior injuriam intulerit. Contra ea ei tribuamus necesse est inconstantiam, levitatem, impatientiam, mollitudinem, metum, æstum animi omniaque, quæ mentis fervidæ at infirmæ propria habentur [2]). Neque in laboribus tolerandis patientem, neque in dolore ferendo satis fortem se præstabat. Quod Augustum, Liviam, Tiberium modo

---

[1]) 2 Trist. 93—96. [2]) 2 Ep. VII: 49; 4 Ep. VIII: 19, 20. [3]) 1 Amor. III: 13, 14. [4]) 1 Ep. V: 45, X: 29, 30. [5]) 1 Amor. III: 15; 1 Ep. X: 33. [6]) 2 Trist. 353, 354. [7]) 1 Amor. IV; 2 Amor. IV (10), IX, XIX; 3 Amor. IX; Rem. Amor. v. 7, 8. [8]) 1 Trist. III: 63, 66; 4 Trist. X: 31, 32, 77—92. [9]) 4 Ep. IX: 91. [1]) 4 Ep. IX: 93—96. [2]) 4 Trist. X: 65, 66; 1 Ep. III: 25—32.

humili atque odioso adulatur [3]), id, si et miseram ejus condicionem et consuetudinem ætatis respicias, ei forsitan ignoscas. Hos identidem superos, hos præsentes deos nominat. Jovem autem ceterosque coelicolas non nimis timebat; eos tamen, quia deos esse expediret, esse putabat [4]). Verius et præclarius quam ipse intellexit, hoc præcipit: "innocue vivite, numen adest" [4]). Donec sospes erat, gloriæ eum atque nominis cupiditas tenebat [5]); postquam vero fallacem spem fragilemque fortunam cognovit, sententiam illam exploratæ veritatis prædicavit: bene qui latuit, bene vixit [6]). Sed de vita satis fere jam diximus.

II.

Sequitur, ut de scriptis Ovidii scribendique genere summa qua potero brevitate utens disseram.

Si verum est quod a peritis animadversum est, duo præcipue sunt ei, qui magnus poeta habeatur, necessaria: instinctus divinus insaniam illam vatum efficiens, qua sententias gravissimas verbaque pulcherrima quasi dono accipiunt, atque ratio, quæ illam moderans et regens comitatur. Quæ duo si inter se ita conjuncta sunt, ut neutri altero officiatur, præclare agitur; sin minus, malumus certe in poeta instinctum uberiorem quam rationem. Ut autem vix negari possit, in tota mente Romana rationem principatum quendam tenuisse et instinctui poetarum sæpe obstitisse, sic de Nasone hoc nullo modo dici potest. Vere natus erat poeta, non factus. Ratio quidem semper aderat, sed subjecta instinctui divino, qui in nullo, credo, scriptore præsentior cernitur quam in Ovidio. At ut hoc verum sit — quod nemo eat inficiás — quantam opportunitatem in

---

[3]) Ex. 2 Ep. VIII. [4]) 3 Amor. III; 1 Art. Am. 631—642. [5]) 1 Trist. I: 53, 54. [6]) 3 Trist. IV: 25.

eo habuit, quod ad scribendum omni eruditione instructus accessit! Et scripta Græcorum Alexandrinorumque diligenter pertractaverat, et præceptis erat rhetorum, qui tunc temporis maxime florebant, imbutus. Ex quo fiebat, non solum ut certo quodam consilio res tractaret, sed etiam ut omnia ornamenta, quibus oratio tamquam floribus perspergi solet, quasi sua sponte ei adessent. Mirifico omnino usus est ingenio in narrando et describendo. Tanta perspicuitate omnia exponit, ut viva atque præsentia ante oculos illa videamus. Inanima, animalia, homines, vitam hominum resque gestas pari cum veritate et elegantia depingit, affectus summa cum animi humani cognitione describit, in dissimillimis vitæ partibus effingendis ingenio et jucunditate abundat. Sermo ipse est elegans, urbanus, facetus, lepidus, salibus crebris variisque distinctus. In quo hoc peropportune cecidit, quod sermo latinus, per Ciceronem ceterosque, qui ejus ætate in prosa oratione excelluerant, perpolitus, tantam consecutus erat puritatem atque perfectionem, quantam neque antea neque postea umquam habuerit. Mirabilis etiam Ovidius exstitit in versibus formandis. Nam versus, quum ad rem de qua agitur, aptissimi sint, nullo tamen contentionis vinculo tenentur, sed ita liberi, ita suaves feruntur, ut illi, non minus quam cetera, ex ingenio poetæ, quomodo Minerva e capite Jovis, perfecti prodiisse videantur. Maxime dilexisse videtur metrum elegiacum, quo in omnibus libris, qui ad nostram ætatem pervenerunt, utitur, duos si excipias, Metamorphoseon et Halieuticon. Et tamen jure, credo, dicere possumus, ad res, quæ in nonnullis, imprimis in Fastis, tractentur, magis aptum esse hexametrum dactylicum.

At criticam sive artem sive operam nomines, quæ omnia diligenter examinat, vitiosa corrigit, luxuriosa am-

putat, supplet si quid deest, omnino contemnebat. Duo apud eum Seneca jure suo vituperavit, unum quod sententias suas repetendo corrumpat [7]), alterum quod verbis nimis licenter utatur [8]). Quæ vitia apud Ovidium crebra sunt, neque illud rarum, quod in ineptias re indignas incidit. Addamus exemplum Metam. XIII: 789—807,

---

[7]) Controv. XXVIII: "Habet hoc Montanus vitium: sententias suas repetendo corrumpit; dum non est contentus unam rem semel bene dicere, efficit, ne bene dixerit. Et propter hoc et alia, quibus orator potest poetæ similis videri, solebat Scaurus Montanum inter oratores Ovidium vocare. Nam et Ovidius nescit quod bene cessit relinquere. Non multa referam quæ Montaniana Scaurus vocabat. Uno hoc contentus ero. Quum Polyxena esset abducta, ut ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit

. . . . cinis ipse sepulti
In genus hoc pugnat. . . . .

Poterat hoc contentus esse, adjecit:

. . . . . tumulo quoque sensimus hostem.

Nec hoc contentus adjecit

Æacidæ fecunda fui. . . . .

Ajebat autem Scaurus rem veram, non minus magnam virtutem esse scire desinere quam scire dicere." Vide etiam Metam. IV: 125—127, VI: 259, 260.

Abutitur itaque ἐξεργασία s. congregatione sententiarum idem significantium.

[8]) Contr. X: "Molesta illi (Ovidio) erat omnis argumentatio. Verbis minime licenter usus est, nisi in carminibus, in quibus non ignoravit vitia sua, sed amavit. Manifestum potest esse, quod, rogatus aliquando ab amicis suis, ut tolleret tres versus, invicem petiit, ut ipse tres exciperet, in quos nihil illis liceret. Æqua lis visa est. Scripserunt illi quos tolli vellent secreto, hic quos tutos esse vellet. In utrisque codicillis iidem versus erant, ex quibus primum fuisse narrabat Albinovanus Pedo, qui inter arbitros fuit:

Semibovemque virum semivirumque bovem,

secundum:

Egelidum Borean egelidumque Notum.

Ex quo apparet, summi ingenii viro judicium non defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum, sed animum. Ajebat enim decentiorem faciem esse, in qua aliquis nævus esset".

ubi Theocritum imitans de virtutibus Galateæ loquentem Cyclopem induxit. Sed quum Theocritus breviter hæc habet:

"Ω λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ
Λευκοτέρα πακτᾶς ποτιδεῖν, ἁπαλωτέρα δ' ἀρνός,
Μόσχῳ γαυροτέρα, φιαρωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς,

apud Ovidium contra, quo erat lasciviente ingenio, triginta tales comparationes, quibus palma Galateæ defertur, facit Polyphemus. Huic confer fabulam de fame Erisichtonis Metam. VIII: 823—878. Argutias lususque verborum sæpe sectans ineptus fit ut Metam. XI: 700, 701:

Nunc absens pereo, jactor nunc fluctibus absens,
Et *sine me me* pontus habet . . .

Id. 125, 126:

Miscuerat puris *auctorem muneris* undis,
Fusile per rictus aurum fluitare videres.

Id. 621 de Somno:

Excussit tandem *sibi se* . . . .

Creber est in periphrasibus, quæ plerumque jucundissimæ sunt ex. gr. Fast. II: 73, 74:

Proximus Hesperias Titan abiturus in undas
Gemmea purpureis quum juga demit equis;

sed nonnumquam frigidæ ex. Fast. VI: 725, 726:

Jam sex et totidem luces de mense supersunt,
Huic unum numero tu tamen adde diem!

Inepte etiam interdum eadem verba repetens in cacophonias fastidiosas incidit ex. Heroid. Ep. XV: 39, 40.

Si, nisi quæ facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est, nulla futura tua est;

et Metam. I: 325, 326:

Et superesse videt de tot modo milibus unum
Et superesse videt de tot modo milibus unam.

Latissime autem patet crimen *negligentiæ*, cujus haud rara apud Nasonem sunt vestigia, imprimis in libris Me-

tamorphoseon, quibus ultimam limam deesse indicavit. De *anachronismis*, qui his libris insunt, copiose disputavit Gierigius in præfatione Metamorphosibus præmissa. Hos autem facilius in fabulis excusemus, credo, quam — de qua in præfatione illa nihil affertur — incuriam et obscuritatem, qua in *geographicis* sæpe peccavit. Exempla sunt Metam. I: 313:

Separat Aonios *Actæis* Phocis ab arvis,

qui locus, si Ovidius revera "Actæis" (non "Oetæis") scripsit, vix ullo modo explicari potest.

Tum IV: 534:

Iactari quos cernis in *Ionio* immenso.

Molestum est illud *Ionio*, quum Ino Orchomeni habitans in sinum Saronicum se injecerit necesse sit [9]).

Adde VIII: 546—548, ubi Achelous Theseo Calydone Athenas redeunti objicitur.

Descriptionem itineris, quod Roma Tomos fecit, haud parva in obscuritate versari, jam supra diximus [1]). Difficultates etiam præbuerunt narratio Acoetæ apud Pentheum (Metam. III: 583—691) [2]), et fabula de volatu Dædali et Icari (Metam. VIII: 220—222) [3]).

---

[9]) Hæc fabula tamen vario modo apud scriptores narrata est. Vid. Fast. VI: 493—550. [1]) pag. 18. [2]) In hoc loco illud molestum est, quod, quum unde navis egressa sit non liqueat, nautæ dicantur Delon petentes Chion venisse et inde profecti (Delon versus?) Naxon dextra habuisse. Quare multi putaverunt, e sinu Saronico profectos *Cei* (quæ insula etiam *Cea* et a Ptolemæo *Κία* nominata traditur) noctem transegisse et postero die a Baccho rogatos, ut Naxon peterent, rursus in sinum Saronicum vela dedisse. Multo tamen aptius mihi videtur, si ab ora Asiatica profecti Chii putantur pernoctasse et postero die, quum meridiem versus navigantes, eo pervenissent, ubi Naxon dextra, oram Asiæ minoris sinistra haberent, illa omissa hanc velis petiisse. [3]) Quæ tamen facilius explicatur, si ita legimus:

. . jam Junonia læva
Parte Samos — fuerant Delosque Parosque relictæ —
Dextra Lebinthos erant fecundaque melle Calymne.

In iis, quæ ad verborum *formas* et *syntaxin* pertinent, licentia quidem poetarum usus est, sed vix eum in modum, ut quid gravius reprehendi possit. Quod *rete* (abl.) pro *reti* [4]) scripsit, *impete* pro *impetu* [5]), *minus altior* [6]) pro *minus altus*, quod ad *quamvis* indicativum adjunxit [7]), quod et *enallagen* (maxime numeri) [8]) et *hypallagen* [9]) sæpius inducit, quod verba quædam compositione novavit [1]) — hæc omnia, ut nuper dixi, licenter, non vitiose fecit.

In ordine, quo verba collocat, admodum solutus est [2]). In versibus et *hiatum* sæpe admittit [3]), et interdum syllabis longis pro brevibus [4]), brevibus pro longis utitur [5]).

Præterea scripta Ovidii, imprimis amatoria, id criminis non possunt evitare, quod scribendi genus flagitiosum atque obscenum crebro adhibetur. Quæ tamen culpa non scriptori omnis est tribuenda, sed major fortasse pars ætati corruptæ, quæ talia ferre posset et amare. Neque Ovidius hac in re gravius peccavit quam Horatius, Propertius et ceteri, qui eum antecesserant. Ipse, dum carmina amatoria in vitio esse agnoscit, duobus tamen argumentis culpam suam minuere conatur: uno, quod nec libri aliorum, nec theatra, circus, templa, ulla denique loca a crimine

---

4) Fast. V: 371. 5) Metam. VIII: 359. 6) Fast. I: 526. 7) Fast. III: 69. 8) Metam. I: 332 (*murice* tectus); II: 13 (*pisce* vehi quædam); III: 695 (*corpora); V: 459 (monstra)* etc. 9) Ex. Metam. II: 165 *(saltus vacuos); VI: 226 (quadrupedes cursus).* 1) Ex. Metam. II: 275 (*omniferos);* XI: 434 *(incommendatus).* 2) Ex. 3 Amor. V: 13, 14 (*lacte);* Art. Am. II: 175 *(culta — amica);* Fast. V: 551 (Ultor *ad ipse suos* coelo descendit honores); etc. 3) Sæpe in arsi pedis quinti et maxime in adjectivis, quæ nominibus propriis adjiciuntur. Ex. Fast. V: 83; Metamorph. V: 409, VIII: 310, 315 etc. 4) Fast. I: 592 (Contigĕrunt); Heroid. Ep. II: 142; Metam. VIII: 467. 5) Sæpissime syllabam postremam in perfectis, quæ in *iit* exeunt, producit. Ex. Metam. I: 114, III: 546. Neque raro *que* encliticum ex. gr. Metam. I: 493.

illo omnino pura essent; altero quod nuptas et pudicas nulla furta docuisset, sed potius a carminibus suis amovisset [6]. Quod in libris Tristium Epistolarumque reprehendi atque defendi possit, de hoc, quum ad singulos ventum erit, plura referemus. Tunc videbimus etiam, quid poeta habeat sui, quid aliis debeat.

Jam supra animadvertimus, poesin Ovidii non posse in certo quodam genere artis poni. Hac in re Bernhardyo, viro doctissimo, assentientes vix ei concedimus, didacticum genus apud illum principatum tenere [7]. Nam et maxime admirabilem sese præstitit in rebus narrandis atque describendis, et in scriptis plurimis, illis etiam quæ didactica appellamus, id revera minus sibi proposuit, ut homines doceret, quam ut mentes hominum teneret atque delectaret. Quamobrem non magis certe didacticum genus prævalere arbitror quam epicum et elegiacum. Dissimilia autem genera compluribus in libris ita sunt confusa et inter se implicata, ut difficile sit divisionem probabilem facere. Quæ tamen si periclitanda erit, talis fere nobis placebit:

I. *Epica:* Metamorphoseon libr. XV et Fastorum libr. VI.
II. *Elegiaca:* Heroides XXI, Amorum libr. III, Tristium libr. V, Epistolarum ex Ponto libr. IV, Consolatio ad Liviam, Nux.
III. *Didactica:* Artis Amatoriæ libr. III, Remedia Amo-

---

[6]) Vide prolixam defensionem, quæ elegia unica libri II:di (a v. 242 usque ad finem) continetur. [7]) Bernhardyus, Grundriss der Römischen Litteratur, pag. 485: "Sieht man auf die Formen seiner Gedichte, so stimmen sie zu keiner hergebrachten Gattung und können, wenn auch der lehrhafte Stoff überwiegt, doch weder der mythographischen noch der didaktischen Poesie ganz zugetheilt werden." Inter didacticos tamen a B. positus est, eam, credo, ob causam, quod aliquo in numero habendus esset.

ris, Medicamina faciei (fragm.), Halieuticon (fragm.), Ibis.

I. Epica.

1. *Metamorphoseon libri XV.*

Nulla fere gens *mythis* caruit, et ut quæque acerrima fuit in fingendo, ita mythorum copia maxime abundavit. Et ut pueri, in quibus summa est celeritas mentis, in ficto sæpe mundo incolis frequentato versantur, sic populi etiam, qui ætate quasi puerili generis humani exstiterunt, vi naturæ permoti imaginibus ex ipsa contemplatione natis opiniones suas exprimere conati sunt. Ac quum tota in natura, in sole, in terra, in fluviis, in herbis, in animalibus vires modo horrendas modo beneficas animadvertissent, hæc omnia, in quibus divini quiddam inesse putabant, religiose venerabantur. Sic mythi etiam multiplices de diis atque hominibus, animantibus atque inanimis oriebantur. Magnam talium fabularum copiam ex Oriente, imprimis ex Ægyptiis et nonnullis gentibus Asiaticis, in Græciam esse translatam, quis est, quin videat? Græci autem, qua erant acerrima vi ingenii subtilique sensu judicii, et multa nova finxerunt et extrinsecus arrepta ad suum morem omnia accommodaverunt.

Campum, quem opiniones vulgi jampridem possederant, philosophi tandem et poetæ sibi assumpsere. Illi quum in variis quæstionibus versarentur, unde sit coelum, unde mare, unde terra, unde omnia, quæ in iis sint, magnum ad mythos excolendos adjumentum afferebant. Sic, ut exemplo utar, quantam materiem mythos fingendi præbebat doctrina illa a philosophis, imprimis Pythagoræis, explicata de metempsychosi s. animorum, quæ per mortem fiat, e corpore in corpus migratione. Huic finitima, specie tamen disjuncta, est metamorphosis s. su-

bita per miraculum quoddam facta formæ mutatio. Cujus nulla species illa crebrior fuit, qua dii, aut ut maleficos coercerent, aut ut miseris opem ferrent, homines in animalia, arbores, lapides, stellas convertebant. Tales metamorphoses apud antiquissimos poetas ex. gr. apud Homerum et Hesiodum carminibus intextas invenimus. Sed ne deerant quidem, qui in hoc genere mythorum separatim elaborarent totosque libros Metamorphosibus refertos ederent. Inter quos scriptores memoria dignissimi sunt Corinna [8]), Callisthenes [9]), Antigonus [1]), Nicander [2]), Parthenius [3]), Boeus [4]). Mythos quum a ceteris tum maxime a Nicandro tractatos collegit Antoninus Liberalis, scriptor Græcus, qui Antonino Pio Romæ regnante vixit.

Mythorum copia una cum ceteris opibus a Græcia Romam translata cultorem admirabilem nacta est Ovidium, qui inter poetas Romanos solus pæne hoc in genere separatim elaboravit [5]). Hic vero in libris, de quibus jampridem loquimur, mythis ducentis circiter et quinquaginta collectis, thesaurum ita abundantem confecit, ut alium mythologiæ veteris magistrum vix desideremus. Non singulos modo

---

[8]) Quæ mulier a. circ. D ante Christum vixit et Pindarum litteras docuisse traditur. Scripsit *'Ετεροίων Βίβλους*. [9]) Olynthius, æqualis fuit Alexandro Magno et discipulus Aristotelis. Ab Alexandro propter suspicionem quandam interfectus est. Conscripsit et historica multa et *Μεταμορφώσεις*. [1]) Corystius, quem ætate Ptolomæi Philadelphi vixisse et *'Αλλοιώσεις* edidisse ferunt. [2]) Colophonius, circ. a. CL a. Chr. vixit. Et didactica quædam confecit et librum unum *'Ετεροιούμενα* inscriptum. [3]) Bithynus, bello Mitridatico captus Romam adductus est. Cfr. Suet. Tib. cap. LXX. *Μεταμορφώσεων* librum confecisse putatur. [4]) Hic inter illos fuit, qui certum genus mutationum enarrarunt. Edidit enim *Ornithogoniam*, qua de hominibus in aves conversis agitur. [5]) Scripsit *Appulejus* quidem *Metamorphoseon* libros, sed magis didactico-philosophicos quam mythico-epicos. Ceterum *Hyginus* in *libro fabularum* prosa oratione conscripto mythos edidit.

mythos sermone læto atque jucundo enarravit, sed eos temporibus etiam ita disposuit et transitu parato inter se contexuit, ut perpetua efficiatur historia, quæ a creatione mundi incepta usque ad mortem Julii Cæsaris perducitur. Dignitas, potentia, artes atque munera deorum dearumque; labores resque gestæ heroum nobilissimorum; virtutes, vitia, studia, occupationes, amores, odia, cupiditates, dolores, gaudia, vita, mortes hominum; coelum, terra, mare, flumina, montes, saxa, arbores, animalia — omnia his libris accurate copioseque descripta inveniuntur. Quam supra diximus miram in Ovidio fuisse facultatem narrandi, ea his in libris ita usus est, ut perspicuitate pæne dramatica omnia exposuerit [6]). Varie atque eleganter ad novas res transitum parat, nihil agit temere vel inconsiderate, qui homines loquentes inducuntur oratione personis digna utuntur [7]). Omnino præceptis rhetorum, quibus adolescens imbutus erat, ita adhæret, ut tamen nulla vestigia artis sint conspicua. Omnis enim consuetudo atque ordo rhetorum orationi Ovidii confusus est, non illatus.

Bene hos libros Metamorphoseon nomine inscripsit, quia omnia ad sententiam illam confirmandam valent, nihil constare, sed e veteribus formis novas semper nasci [8]). Ad plurimos etiam mythos adjuncta est metamorphosis, quæ proprie dicitur, qua hominis a deo vel irascente vel succurrente figura commutatur. Sic Lycaon in lupum vertitur, Actæon in cervum, Cadmus in serpentem, nautæ in delphinos, Hecuba in canem, agrestes Lycii in ranas,

---

[6]) Ex. narr. de Diluvio I: 253 sqq. de Phaëthonte II: 1—400, de Pentheo III: 510—733 etc. [7]) Vid. orationem Solis ad filium II: 50—102 et 136—149, quæ gravissima est et ornatissima suasoria; or. Medeæ VII: 11—71; certamen inter Ajacem et Ulixem de armis Achillis XIII: 1—381. [8]) Hanc ipsam sententiam dogmata Pythagoræ referens copiose explicavit XV: 75—478.

Myrmidones in formicas, comites Inus in aves, Arachne in araneam, Daphne, Heliades, Philemon et Baucis in arbores, Niobe in saxum, Acis in fontem [9]). Mutatio tamen numquam per totam narrationem tractatur, sed mytho prope finem perducto plerumque annectitur.

Atque ut ipsa tractatio Ovidii propria est, sic dubitari non potest, quin materiem scriptoribus Græcis Alexandrinisque debeat. Usus est non solum libris eorum, qui Metamorphoses collegerunt, sed etiam Homero [1]), Hesiodo[2]), Pindaro [3]), Theocrito [4]), Apollonio Rhodio [5]), Apollodoro in Biblioth. [6]), Callimacho [7]), Diodoro Siculo [8]), Aeschylo [9]), Sophocle [1]), Euripide [2]) aliisque, quorum in scriptis di-

---

[9]) Rariora mutationum genera interdum inducuntur, quorum exempla sunt: ortus hominum ex lapidibus I: 398—415 vel dentibus vipereis III: 101—130; mutatio duplex Callistus in ursam et stellam II: 476—507; Echus in imaginem vocis III: 395—401; Hermaphroditi et Salmacidis in unum concretio IV: 285—388; Iolai in juvenem, filiorum Callirhoes in impuberes mutatio IX: 394—446; Iphidis e virgine in puerum mutatio IX: 665—796; statuæ eburneæ vitæ donatio X: 243—297. [1]) De *Pythone* (I: 419) cfr. Hymn. ad Apoll.; de *Batto* (II: 679) hymn. ad Merc.; de *nautis Tyrrhenis* (III: 600) hymn. ad Bacchum; de *raptu Proserpinæ* (V: 341) hymn. ad Cererem; *de adulterio Veneris* (IV: 167) Od. VIII: 266; de *armorum judicio* (XIII: 1) Od. XI: 542; de *Niobe* (VI: 165) Il. XXIV: 602. [2]) De *Typhoeo* (V: 321), de *nuptiis Pelei et Thetidos* (XI: 229) in Theogonia. In libris deperditis cecinit Hesiod. de *IV ætatibus*, de *Phaethonte*, de *Mida* etc. [3]) De *Coronide* (II: 542) Pyth. 3. [4]) De *Acide* et *Galatea* (XIII: 750) *Eiδ*. XI. [5]) De *Phaëthonte* (I: 750) Arg. IV: 597, de *nuptiis Pelei* Arg. IV: 807. [6]) Multa huic debet ex. de *Diluvio*, *Semele*, *Cadmo*, *Niobe*, *Medea*, *Cephalo et Procride*, *Meleagro*, *Hyacintho*, *Adonide*, *Ceyce et Halcyone*. [7]) De *raptu Proserpinæ* in hymn. ad Cererem, de *Niobe* in hymn. ad Apoll. de *Meleagro* in hymn. ad Dianam. [8]) Ex. de *Dædalo et Icaro*, *Meleagro*, *Acheloo*. IV. [9]) De *Io* in Prometheo, de *Athamante et Ino* in Semele. [1]) De *Athamante* et *Ino*, *Andromeda*, *Procne*; *Nesso*, *Dejanira*, *Hercule* (in Trachin.). [2]) De *Cadmo* (Phoen.), *Actæone* (Bacch.), *nuptiis Pelei* (Iph. Aul.), *Hecuba* (Troad.) etc.

spersa membra mythographi inveniuntur. Perpaucæ sunt fabulæ, quas apud nullum scriptorem Græcum potuimus reperire. In his perpaucis sunt tamen suavissimæ illæ de Pyramo et Thisbe atque de Philemone et Baucide. Ab æqualibus Romanis, imprimis Vergilio [3]) nonnulla sumpsit.

In conficiendis his libris, quos *carmina mutatas formas* s. *versa corpora dicentia* s. *volumina mutatæ formæ* [4]) ipse appellavit, Ovidium arbitramur complures per annos, dum Romæ viveret, versatum fuisse. Id certe constat, hoc eum opere fuisse occupatum tunc, quum iratus Cæsar Roma eum juberet excedere. De quo ipse:

Carmina mutatas hominum dicentia formas,
Infelix domini quod fuga rupit opus [5]).

Item se ait, vel quod Musas odisset, vel quod rude carmen esset, immeritos libellos rogis imposuisse. Hos tamen, quippe qui pluribus exemplis scripti essent, conservatos postea cum gaudio narrat, animadvertens summam iis manum abesse, et se, si licuisset, quidquid vitii haberent emendaturum fuisse [6]).

2. *Fastorum Libri VI.*

Jam a Numa Pompilio ita institutum erat, ut alii dies essent *fasti* (quibus fari, tria illa verba "do, dico, addico" eloqui, cum populo agere liceret), alii *nefasti* [7]). Additi sunt postea *intercisi*, quorum altera pars in priori, altera in posteriori genere habebatur [8]). Labente tempore fiebat, ut tabulæ illæ, quibus contineretur index dierum, *fasti* nominarentur. Quas ad tabulas diligenter reconditas plebs a patribus non admittebatur [9]), donec Flavius quidam,

---

[3]) Ex. de *Polyphemo*, de *itinere Æneæ*, de *Achæmenide*. [4]) 1 Trist. VII: 13; II Trist. 64; III Trist. XIV: 19. [5]) 1 Trist. VII: 13, 14. [6]) 1 Trist. VII: 13—40; 3 Trist. XIV: 19—24. [7]) Liv. I: 19. [8]) Fast. I: 47—52. [9]) Liv. IV: 3.

scriba Appii Claudii, magna cum offensione Patrum in vulgus eos edidit [1]). Paulatim usus fastorum adeo amplificatus est, ut non solum qui dies essent fasti, nefasti, intercisi indicarent, sed etiam quo ordine menses anni diesque mensium secundum Calendas, Nonas, Idus numerarentur, atque imprimis quibus diebus feriæ omnes sollennes atque ludi fierent, et quibus comitia haberentur. Et quum imperatoribus servus populus divinum pæne honorem tribuere coepisset, horum etiam natales, triumphi, laudes in fastos referebantur.

Erant etiam alii fasti, qui *historici* s. *consulares* nominabantur, quos magistratus quisque annus habuisset et quid domi bellique gestum esset, indicantes. Hos autem, de quibus nos agimus, *sacros* s. *calendares* vocabant. Tales non Romæ solum, sed etiam in civitatibus finitimis habebantur [2]).

Sacros Romanorum fastos summa cum suavitate atque elegantia descripsit atque exornavit Ovidius in libris didactico-epicis, qui *Fasti* inscripti sunt. Ipse quid sibi his in libris conficiendis proposuerit, ita docet:

Tempora cum causis Latium digesta per annum
Lapsaque sub terras ortaque signa canam [3]).

Quæ autem his libris præcipua continentur, hæc fere sunt:

a. Exortus atque occasus siderum [4]).
b. Nomina singulorum mensium [5]).
c. Figura, insignia, nomina, mythi denique deorum [6]).

---

[1]) Liv. IX: 46. [2]) Fast. III: 87, VI: 59. [3]) Fast. I: 1, 2.

[4]) In quorum mentione commemorat etiam de iis, qui stellis nomina sua imposuerunt ex. gr. de Arione II: 79—118, Theseo et Ariadne III: 459—516, Phrixo et Helle III: 851—876, Dioscuris V: 693—720, Leucothea VI: 473—562, Hippolyto VI: 733—762.

[5]) De nominibus mensium plures interdum afferuntur sententiæ ut de Aprili duæ, de Majo et Junio ternæ.

[6]) Copiose et accurate mythologiam cultumque explicat *Jani* I:

d. Feriæ, ludi, hostiæ et cærimoniæ diis sacræ [7]).

e. Templa dedicata [8]).

f. Fabulæ resque gestæ ad historiam antiquiorem vel recentiorem Romæ pertinentes [9]).

g. Laudes honoresque Augusti [1]).

Princeps vel potius solus, quod quidem nos cognoverimus, hanc materiam scribendi elegit Ovidius. Nam etsi, quod docti viri putaverunt, carmen quoddam Callimachi de αἰτίοις ὠγυγίων ἡρώων καὶ μακάρων, cujus car-

---

64—288, *Bacchi* III: 730—792, *Veneris* IV: 61—162, *Cybeles* IV: 181—372, *Cereris* IV: 389—620, *Floræ* V: 195—378, *Carnæ* VI: 101—182, *Vestæ* VI: 249—460.

[7]) *Januar.* Agonalia, Carmentalia, Sementiva, Lupercalia.

Februar. Faunalia, Quirinalia, festum Stultorum, Fornacalia, Feralia, Sacra Mutæ, Caristia, Terminalia, Equiria.

Mart. Matronalia, Sacra Annæ Perennæ, Liberalia, Quinquatrus.

April. Festum Veneris, Cybeles (Megalensia), Cereris, Fordicidia, Palilia, Vinalia, Robiginalia, Floralia.

Maj. Floralia, Lemuria, Sacra Mercurii, Agonalia, Tubilustria.

Jun. Vestalia, Matralia, Quinquatrus minores, Sacra Fortunæ fortis.

[8]) *Jan.* Æsculapii, Jovis, Concordiæ, Castoris et Pollucis. *Febr.* Junonis Sospitæ. *Mart.* Vejovis. *April.* Fortunæ publicæ, Jovis Victoris. *Maj.* Bonæ deæ, Martis Ultoris. *Jun.* Junonis Monetæ, Bellonæ, Herculis Custodis, Mentis, Matutæ, Fortunæ, Concordiæ, Summani, Larium, Jovis Statoris, Musarum.

[9]) Narratur de Carmenta, Evandro, Hercule, Caco I: 461—586, interitu Fabiorum II: 193—242, expositione et conservatione Romuli ac Remi III: 178—258, Dido et Anna Perenna III: 523—696, victo Juba IV: 379, 380, victoria Mutinensi IV: 625—628; occasu Remi IV: 807—862, Turno et Mezentio IV: 879—896, sepultura Remi V: 419—492, clade Crassi et signis relatis V: 580—598, supplicio Manlii VI: 185—190, historia Servii Tullii VI: 569—636, triumpho Postumi de Volscis VI: 721—724, Flaminino ad Transimenum victo VI: 763—768, Hasdrubale occiso VI: 769, 770.

[1]) Hæc nomina ei tributa celebrantur: Augustus I: 589—616, Pater patriæ II: 119—144, Imperator IV: 673—676. Pontifex salutatur III: 419—428.

minis exstant fragmenta, oculis ejus obversatum est, attamen neque in ipsis rebus neque in earum dispositione ac descriptione eum imitatus est. Res, de quibus scriberet, e Fastis, e Calendariis Astronomicis, e mythologia, ex annalibus, ex historia petitas suo utens judicio et ingenio tractavit. Quas virtutes dictionis in libris Metamorphoseon summas invenimus, eas etiam in Fastis, inferiores tamen. Ipsa materia, quæ ei subjecta fuit, efficit, ut non semper ubertas illa ingenii eluceat. Et tenuis nonnumquam et nugatorius, modo nimis brevis, modo longus nobis videtur. Sed ut nonnulla minus placeant, plurima certe vehementer. Egregius honor illi tribuendus est, qui in rebus gravibus summa, in exilibus certe aliqua cum suavitate versetur. Magnam sæpe orationi festivitatem eo adjecit, quod dii inducuntur de se ipsis aliisve narrantes. Sic Janus initio operis adest omnem suam mythologiam obscuram sane et late patentem enarrans [2]), sic tres Musæ de nomine Maji [3]), Juno, Hebe et Concordia de nomine Junii [4]) sententias suas cum poeta communicant, sic alio tempore præsentes audis Martem [5]), Venerem [6]), Floram [7]), Minervam [8]). Exempla summæ venustatis sunt narrationes de Rhea Sylvia [9]), de Anna Perenna [1]), de potentia Veneris [2]), de Flora [3]).

Fastos haud dubie ante fugam confecit, sed in loco exsilii recognovit et nonnulla inseruit. Nam et de acerbitate exsilii queritur [4]) et dedicationem templi Castoris et Pollucis a. DCCLXIX factam laudat [5]). Totum opus dicatum est C. Germanico, principi et raræ virtutis et ingenii

---

[2]) I: 64 sqq. [3]) V: 1—110. [4]) VI: 1—100. [5]) III: 171 sqq. [6]) IV init. [7]) V: 191 sqq. [8]) VI: 655 sqq. [9]) III: 11—54. [1]) III: 523—696. [2]) IV: 85—132. [3]) V: 191—330. [4]) IV: 82. [5]) I: 705—708.

præcellentis [6]), cujus bella et laudes nonnumquam celebrat [7]).

Quare dimidium modo annum Ovidius descripserit, numve de ceteris quoque mensibus scripserit, non ediderit, parum liquet.

II. Elegiaca.

1. *Heroides.*

Hoc libro continentur epistolæ XXI ad ætatem, quæ heroica dicitur, relatæ et ab amantibus ad amatos amatasve missæ. Tres modo juvenes puellis, ceteras mulieres maritis vel dilectis scripsisse simulantur. In quibus suum amorem confitentur [8]), de absentia dilectorum queruntur [9]), de salute eorum timent [1]), de fide dubitant vel perfidiam accusant [2]), se quamvis sollicitatas fidem servare affirmant [3]), orant denique ut, quam primum fieri possit, revertantur [4]). Sed quum dissimillima in condicione scribentes versentur, magna inde rerum varietas efficitur. Præterea hæ epistolæ et scientia mythologiæ totiusque antiquitatis abundant et subtili mentis humanæ cognitione. Ipsum scribendi genus est festivum, luminibus orationis optimis distinctum. Quare hæ epistolæ a scriptore quodam dictæ sunt omnium Ovidii librorum politissimæ et flos elegantiæ Romanæ. Neque tamen illæ magis quam cetera Nasonis nævis carent, qua de re supra diximus. Ad hos accedit etiam crimen haud plane immeritum, quod magis ad mollitiem et delicatam vitam sui seculi quam ad robur simplicitatemque antiquitatis Ovidius eas accommodaverit.

---

[6]) Sueton. Calig. III. Tac. Ann. II: 73. [7]) I: 277—288; II 15—19. [8]) Ex. Phædra Hippolyto Ep. IV. [9]) Ex. Penelope de Ulixi. Ep. I. [1]) Id. [2]) Hoc argumentum in epistolis plurimis tractatur, neque mirum, quum scriptæ sunt a Dido, Ariadne, Dejanira, Medea etc. [3]) Ex. Briseis Achilli Ep. III. [4]) Id.

Quod Ovidius ipse ait hoc opus a se novatum esse [5]), hoc defendendum videtur neque iis assentiendum, qui duce P. Burmanno secundo ad imitationem Propertii, auctoris epistolæ Arethusæ ad Lycotam, hoc genus carminum susceptum esse dicant. Etsi enim Ovidius se docet Propertio successisse et illum carmina recitantem sæpe audiisse [6]), etsi multa Propertii similia in epistolis invenimus, attamen neque satis est causæ, cur hujus generis inventionem Propertio transferamus, neque illud "novavit" aliter explicari posse mihi videtur, quam si non "invenit," at certe "Romam induxit".

Harum epistolarum quum novem ipse commemoret Ovidius [7]), complures putaverunt, reliquas A. Sabino [8]) vel æquali alicui esse tribuendas. Alii epistolas XV Ovidio, VI Sabino adjudicaverunt. Qua de re, quum adhuc lis sub judice sit, ego judicium ferre non audens id modo negare velim, adhuc idoneas causas allatas esse, cur epistolæ, de quibus agimus, essent segregandæ. Responsiones A. Sabini, quarum l. l. [9]) fit mentio, periisse arbitramur. Quæ enim editionibus nonnullis Heroidum adjunctæ sunt, eæ hoc Sabino, eruditissimo homine, sunt indignæ.

Heroides exierunt ante editam Artem amatoriam [1]), ut credibile est circ. a. DCCL [2]).

2. *Amorum Libri III.*

His libris, qui in erotico genere habendi sunt, omnia, quæ ad militiam Cupidinis [3]) pertinent, copiose enarrata invenies. Ovidius enim, quum primum docuit, cur relictis

---

[5]) Art. Am. III: 345, 346. [6]) 4 Trist. X: 45, 51—54. [7]) 2 Amor. XVIII: 21—26. [8]) De quo vide 4 Ep. XVI: 13—16. [9]) 2 Amor. XVIII: 27—34. [1]) Art. Am. III: 345, 346. [2]) Cfr. Baehr. Geschichte der Röm. Litt. I pag. 453. [3]) Ipse amorem militiæ venustissime comparat 1 Amor. IX.

epicis et tragicis erotica coeperit scribere [4]), nihil propemodum agit, nisi ut suas cupiditates, timores, spes, dolores, lætitias, voluptates exponat. Adolescens amare inceperat formosissimam illam, cui more poetarum fictum nomen Corinnam dederat [5]). Quæ quum satis diu eum videatur detinuisse, multo in pluribus sine dubio carminibus celebrata fuit, quam quæ etiam nunc Corinnæ nomine gaudent. Plurima illi scripta igni fortasse dedit [6]), nonnulla forsitan illam respiciunt, quamquam carent nomine. Quæ Corinna esset, omnes latebat [7]), sed falso quædam, per Ovidium nomen habere cupientes, Corinnæ nomen sibi ipsis imponebant [8]). In elegiis Corinnæ nomine inscriptis illa se potitum lætatur [9]), suspiciones amovere studens illi fidelem se permansisse confirmat [1]), pro illa ægrotante deos orat [2]), peccantem illam castigat [3]), de illa etiam queritur, quod pulchritudine nimis confidat [4]). Rupto tandem vinculo calliditatem ejus versutamque mentem ita accusat [5]), ut nullam certe simplicitatem vel probitatem in ea fuisse putemus. A veri similitudine non abhorret, illam significari amicam quæ pejerasset [6]), et quæ ditiorem Ovidio amatorem prætulisset [7]). Utcunque fuit, id pro certo habemus, plurimas et cujusvis fortunæ mulieres Ovidio dilectas fuisse [8]), neque probabilis nobis videtur eorum sententia, qui varias illas vices amoris maxima ex parte a poeta fictas, non usu cognitas arbitrentur [9]).

---

[4]) 1, 2, 3 Amor. I. [5]) Pervulgata sunt nomina Lesbiæ, Deliæ et Cynthiæ, quarum unam amavit Catullus, alteram Tibullus, tertiam Propertius. [6]) 4 Trist. X: 61, 62. [7]) Art. Am. III: 538. [8]) 2 Amor. XVII: 28—30. [9]) 1 Amor. V; 2 Amor. XII. [1]) 2 Amor. VII, VIII. [2]) 2 Amor. XIII. [3]) 2 Amor. XIV. [4]) 2 Amor. XVII. [5]) 2 Amor. XIX: 8—48. [6]) 3 Amor. III. [7]) 3 Amor. VIII. [8]) 2 Amor. IV, IX: 1—4, X. Rem. Am. v. 7, 8. [9]) Qua de re Bernhardyus: "Diese Poesie lebt in einer abstrakten Welt".... Et Lübker: "Schwer-

Genus scribendi, quo his in elegiis utitur, festivum sane est, facetum, ingeniosum, sed molle etiam, delicatum, lascivum. Multas orationis propter excellentiam admireris, propter lasciviam asperneris. Parvus est numerus earum, quas et præstantia sermonis et castitas una voce commendant. Tales sunt tamen el. in livorem [1]), de psittaco mortuo [2]), de Tibulli morte [3]).

In hoc genere poesis antecessores habuit inter Græcos Callimachum et Philetam [4]), inter suos Catullum, Tibullum, Propertium. Quorum neminem imitatus esse, nemini nihil debere vere dici potest.

Quod se ait carmina quædam juvenilia barba bis semelve resecta (annum circ. XXI:mum) populo recitasse, eo sine dubio significat erotica [5]). El. IX:nam libri III:tii scriptam esse apparet a. DCCXXXV, quo anno Tibullus mortem obiit. Bis videtur has elegias edidisse, prius in quinque, deinde in tres libros collectas [6]). Quibus autem annis hæ editiones factæ sint quum pro certo dijudicari vix queat, a conjiciendo abstinebo, hoc tamen animadvertens, utramque editionem (si duæ fuerunt) ante editam Artem amatoriam [7]), inter a. DCCXXXV et a. DCCL esse ponendam.

3. *Tristium libri V. et*

4. *Epistolarum ex Ponto libri IV.*

Ex his libris threnetico-elegiacis in vita Nasonis enar-

---

lich ist alles selbst erlebt, die Virtuosität des Dichters hat es gewiss an Phantasieenstücken nicht fehlen lassen". [1]) 1 Amor. XV. [2]) 2 Amor. VI. [3]) 3 Amor. IX. [4]) 2 Amor. IV: 19. Quint. Instit. X: I: 58. [5]) 4 Trist. X: 56—60.

[6]) Hoc epigramma Amoribus præmisit:

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
Tres sumus . . . .

[7]) Art. Am. III: 343, 344. Cfr. 2 Amor. XVIII: 19, 20.

randa tam multa attulimus, ut vix plura, credo, a nobis desiderentur. Ipsum etiam nomen Tristium, quid in carminibus invenias, satis docet. In duobus enim Ovidius maxime versatur: in describendis innumeris calamitatibus, quibus obrutus sit, et in mitiore exsilio rogando. Accedunt multa de antecedente vita et de causis damnationis. Inter Tristia et Epistolas ex Ponto, quum cetera similia sint, hæc intercedit dissimilitudo, quod illorum plurima aut ad certos quosdam homines missa non sunt, aut nomina hominum occulta, in his contra ea, cui unaquæque epistola missa sit, nomine præmisso indicatur [8]). In epistolis amicos crebro etiam pristinæ familiaritatis commonefacit et ab iis petit, ut ne in commodiore solo impetrando sibi desint. — His carminibus haud immerito id vitio datur, quod immoderate lamentando et querelis iterum iterumque repetendis legentes fatigant et magis e mente calamitatibus oppressa quam ex ingenio vere poetico profecta videntur. Ad quæ crimina ipse respondet, in judicio ferendo tempora, quibus carmina illa confecta essent, esse spectanda [9]); in tantis malis se pigere vitia corrigere [1]); læta se lætum cecinisse, jam tristem tristia [2]); atque se scribere alia conantem eodem sæpe delabi [3]). Nimis, credo, acrem se judicem præbuit Schillerus, qui Tristia et Epistolas nollet in poeticis haberi. Nam et forma plerumque a summa scriptoris laude non abhorret, et ipsæ sententiæ sæpe sunt poeta egregio at doloribus fracto dignissimæ. Legas 1 Trist. III (Ultima nox), 3 Trist. VIII (Nunc ego Triptolemi etc.), 3 Trist. XII (de veris jucunditate) 4 Trist. VI (de vi consuetudinis).

---

[8]) 1 Ep. I: 15—20. [9]) 1 Trist. I: 37—48. [1]) 1 Ep. V: 1—20; 3 Ep. IX: 11—24. [2]) 3 Ep. IX: 35. [3]) 4 Ep. XV: 33.

5. *Consolatio ad Liviam de morte Drusi.*

Venustissimam hanc elegiam, quam Scaliger, Vossius, Heinsius, Burmannus aliique multi doctissimi Ovidio noluerunt tribuere, equidem, donec graviores rationes allatæ erunt, in Ovidianis habendam esse puto duobus maxime nixus argumentis, uno quod propter elegantiam suam et præstantiam Nasone digna est, altero quod antiquissimi editores illi eam tribuerunt. Quoniam Drusum mortuum esse constat a. DCCXLIV, non multo post consolatio illa scripta est [4]).

6. *Nux Elegia.*

In hoc carmine, quod auctorem immaturum at tamen Ovidium indicat, arbor a prætereuntibus lapidibus vexata [5]) comparationem querula facit inter prisca secula, quum fertilitati simplicitatique sui honores tribuerentur [6]), et nova, quæ luxuriæ vanitatique dedita res vere utiles læderent [7]) at inutili splendore ostentantes magni æstimarent [8]).

III. Didactica.

1. *Artis Amatoriæ Libri III.*

His libris, qui didacticam speciem præ se ferunt, revera continetur expositio consuetudinis Romanorum juvenum, quæ quidem ad amatoria pertineret. Nusquam tamen heic agitur de amore ingenuo atque casto, sed de lascivo illo in libertinas et meretrices, qui amor tunc temporis omnem pæne morem Romanorum inquinaverat. Opus suum, cujus in exordio amorem arte quadam ait esse regen-

---

[4]) Vid. Amar Præf. in Consolationem. Hic tamen vehementer errat Drusum eodem anno mortuum esse dicens, quo Ovidius pulsus est. Confundit — mirabile! — a. IX ante et a. IX post. Chr. natum.
[5]) v. 2, 35—50. [6]) v. 7—15. [7]) v. 93, 107 sqq. [8]) v. 17 sqq.

dum [9]) et se a Venere artificem amori esse præfectum [1]), ita divisit, ut in libr. I:mo et II:do adolescentes doceat, in III:tio puellas, quomodo in amando agere deceat. Qui igitur tiro in militiam amoris venit, is ad tria maxime animum advertat:

1) *Ut id quod amare velit reperire possit.* Lib. I: 35—262.
(Elige cui dicas: tu mihi sola places!) [2]).

2) *Ut quæ placuerit capiatur.*
(Ne dubita cunctas superare puellas!) [3]). Lib. I: 263 ad fin.

3) *Ut capta retineatur.*
(Ut ameris, amabilis esto!) [4]). Lib. II.

Singula autem præcepta, quippe quæ obscenitate sæpe scateant, nobis liceat præterire.

Deinde Venere ipsa monente puellis præcipit, qua arte adolescentes aucupandi sint atque retinendi. Quæ præcepta ejusmodi fere sunt, ut munditiam et gratiam adhibeant [5]), ut commode cantare, saltare, poemata recitare discant [6]), ut mores indoli amantis accommodent [7]), ne sint aut nimis faciles aut difficiles [8]), et cetera generis ejusdem.

Dissimilia his de libris judicia tulerunt viri doctissimi. Acerrimus illorum castigator exstitit La Harpe in volumine illo quod "Cours de Litterature" inscriptum est [9]). Contra ea Heinsius pleno ore eos laudat neque minime id ipsum, quod ille maxime reprehendit [1]). Cum Heinsio alii

[9]) I: 3, 4. [1]) I: 7. [2]) I: 42. [3]) I: 343. [4]) II: 107. [5]) III: 101—310. [6]) III: 311—416. [7]) III: 370. [8]) III: 475 sqq. [9]) . . . "En un mot, quoiqu'il y ait quelques details ingénieux et quelques jolis vers, le tout ne présente qu'un ramage mesuré et la facilité de dire des riens en vers simples et négligés" . . . L'auteur y joint cinq ou dix episodes, plus insipides, plus déplacés les uns que les autres". [1]) . . . "In Arte ac Remedio amoris disponendi ac dicendi ratio (inest), gravissimæ sententiæ, narrationes ac communes loci, quos cum maxima dexteritate ac jucunditate inserit." Dedic. ante edit. 1629.

nobilissimi ut Bernhardyus[2]) et Baehrius[3]) consentiunt. Mihi quoque, si inter tot præclaros homines ferre sententiam ausim, hæc carmina ut propter lasciviam vituperanda, sic propter elegantiam laudanda videntur. Omnia more rhetorum prudenter sunt disposita, argumenta gravia adhibentur, exempla rei apta eliguntur, neque quidquam præcipitur, nisi quod magistrum indicet artis peritissimum. Ipse sermo abundat agilitate, lepore, variis facetiarum floribus. Neque graviora hic vitia invenias quam in ceteris scriptis Ovidii, nisi forte id ipsum ineptum ac stultum judices, quod præcepta tradidit de arte amatoria, quæ, si amor revera ars ac non potius facultas naturalis nominandus est, neque ad certas quasdam leges accommodari possit neque præcepta desideret. Concedimus etiam, digressiones, quæ a re proposita fiant, parum apte interdum esse insertas [4]).

In Arte Ovidius suum consilium secutus esse videtur neque aliis multa debere. Edita est, ut docuit Massonius, a. DCCLII [5]), quo anno Juliam, Augusti filiam, relegatam esse constat.

2. *Remedia Amoris.*

Contrarium heic antecedenti opus molitur Naso, ut doceat, quibus rebus amorem, qui non placeat et minus probetur, possimus solvere [6]). In quo multa consilia honesta sane et salubria tradit, ut: Principiis obsta! [7]) fuge otia! [8]) rura quære! [9]), sed interdum in tantas obscenitates delabitur, ut haud immerito quidam remedium malo pejus

[2]) sid. 490. [3]) 1 Band. § 108. [4]) Ut de raptu Sabinarum. I: 100—134, de volatu Dædali II: 21—96. [5]) Hoc anno enim Naumachia, quæ I: 171 sqq. commemoratur, populo repræsentata est in lacu prope Tiberim effosso. De qua Vellejus lib. II cap. 100. [6]) v. 15—22. [7]) v. 91. [8]) v. 136. [9]) v. 169 sqq.

appellaverit. Quod de elegantia scribendi nuper attulimus, idem fere ad remedia transferri potest. Rei amatoriæ peritissimum mentemque humanam penitus expertum hic etiam sese præbuit. Quanta gravitas et veritas in his sententiis inest:

Manat amor tectus, si non ab amante recedas,
Turbaque in hoc omnes ingeniosa sumus [1]).

— — — — — — — — — — — — — —

Proximus a tectis ignis defenditur ægre,
Utile finitimis abstinuisse locis [2]).

— — — — — — — — — — — — — —

Non satis est ipsam deseruisse tibi [3]).
Et soror et mater valeant et conscia nutrix,
Et quidquid dominæ pars erit ulla tuæ.

— — — — — — — — — — — — — —

Et malim taceas, quam te desisse loquaris [4]);
Qui nimium multis "non amo" dicit, amat.

— — — — — — — — — — — — — —

Desinimus tarde, quia nos speramus amari [5]);
Dum sibi quisque placet, credula turba sumus.

Scripta Remedia videntur paulo post Artem [6]).

3. *Medicamina faciei.*

In hoc carmine, cujus fragmenta modo exstant, puellas hortatur, ut formam cultu commendabilem reddant [7]), atque enumerat medicamina faciei illinenda [8]). Ipse hoc opusculum haud parvi æstimabat, dixit enim in Arte:

Est mihi, quo dixi vestræ medicamina formæ,
Parvus, sed cura grande libellus opus [9]).

4. *Halieuticon.*

Mutilatum et corruptum hoc carmen id agit, ut na-

[1]) v. 619, 620. [2]) v. 625, 626. [3]) v, 636—638. [4]) v. 647, 648. [5]) v. 685, 686. [6]) v. 1. [7]) v. 1 sqq. [8]) v. 52 sqq. [9]) Art. Am. III: 205, 206.

turam atque indolem piscium exponat. In fragmento, quod ad nostram ætatem venit, circiter quinquaginta enumerantur brevibusque notis describuntur. Bis hujus carminis mentio fit apud Plinium [1]).

5. *Ibis.*

Est poema satiricum, quo exagitat Ovidius et futuræ pesti devovet hominem quendam Ibidis nomine designatum. Tria huic maxime exprobrat, unum quod se relegatum non sineret delitescere, sed calumnis identidem vexaret [2]), alterum quod conjugem suam sollicitaret [3]), tertium quod opibus suis inhiaret [4]). Tribus etiam modis virus acerbitatis in illum effundit. Primum omnia, quæ fieri non possint, ante futura affirmat, quam pax sibi cum illo possit conciliari [5]), deinde diris horrendis eum exsecratur [6]), tum exempla omnium calamitatum ex mythologia atque historia sumpta ut in Ibin recurrant vaticinans precatur [7]). Quis homo ille Ibis fuerit, nondum potuit satis explorari. Alii Hyginum grammaticum, quocum Ovidius familiariter vixerat, suspicati sunt, alii alios [8]). Sed nemo rationes satis probabiles ad sententiam suam confirmandam attulit.

In hoc carmine — id quod certissimum est — imitatus est Ovidius Callimachum [9]). Hic enim, cujus scripta quædam Apollonius Rhodius pro suis ediderat, versibus mordacibus eundem Apollonium agitavit nomenque Ibidis ei

---

[1]) Hist. Nat. lib. XXXII: c. 2. "Mihi videntur mira, quæ Ovidius prodidit piscium ingenia in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur." Eodem libro cap. ultimo: "His adjiciemus apud Ovidium posita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur; sed fortassis in Ponto nascuntur." [2]) v. 11—14. [3]) v. 15, 16. [4]) v. 17—22. [5]) v. 31—44. [6]) v. 63—252. [7]) v. 253 sqq. [8]) Vid. Salvagnii Boesii excursum in Ibin cap. IV. [9]) v. 55—60.

imposuit. Callimachum autem Ovidius sequens suo quoque inimico hoc nomen dedit [1]).

Totus hic libellus auctorem indicat acerrimo odio incensum, sed fractum jam viribus. In eo, si pauca exceperis, nulla est dignitas, nulla urbanitas, nullus lepor, sed bilis tumens, duritas, dirarum coacervatio usque ad fastidium.

Ab Ovidio exsule libellum scriptum esse, jam supra diximus [2]).

Præterea Ovidius nonnulla (multa fortasse) edidit, quæ perierunt. Ipse a se scripta commemorat epithalamium ad Maximum [3]), carmen de triumpho Tiberii Illyrico [4]), de morte Augusti [5]), quorum tamen nulla vestigia reperimus. Contra ea multa ab Ovidio scripta putaverunt, quæ ei tribui nullo modo debent ut Elegiam ad Philomelam, Elegiam de Pulice, Carmen Panegyricum ad Calpurnium Pisonem, Somnium, Priapeia atque plura similia.

[1]) v. 61, 62. [2]) v. 11. [3]) 1 Ep. II: 133. [4]) 3 Ep. IV: 81. [5]) 4 Ep. VI: 17.



Corrigenda:

Pag. 8 lin. 14 vestabat lege restabat
„ 14 „ 1 meres „ mores
„ 39 „ 2 eos „ eas

